



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Titvlvs XIX. De Probationibvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

v. g. quòd Titius à Sede Apostolica priuilegium nullum acceperit, sicuti explicatur in *c. Bone. 23. de elect.* tamen talis negatiua, si ad causam pertinens sit, inter positiones referri potest; videlicet: pono verum, quòd Titius nullum super pluralitate curatorum beneficiorum dispensationem Pontificiam habeat: tunc enim Reus cogetur respondere vel confitendo, vt probatione alià opus non sit, vel negando, quo casu postulante Episcopo seu iudice dispensationem exhibere debet, cum hæc sit quasi exceptio rei, cuius probatio ipsi incumbit.

CAPITVLVM II.

Si post.

PARAPHRASIS.

Si Reus, vel procurator eius, post præstitum iuramentum calumniæ, aut dicendæ veritatis, positionibus Actoris à iudice iussus respondere, absque causa rationabili recuset, vel contumaciter se absenter, haberi debet pro confesso; sin autem se absenter, antequam à iudice respondere

iussus fuit, non debet pro Confesso haberi, sed contra ipsum tanquam contumacem procedi. Ratio huius responsi sumi debet ex doctrina quæ traditur in *Reg. 42. & 43.* quòd tacens censeatur confiteri, si eo loco & tempore interrogetur, quando respondere debet, non autem habeatur pro Confesso, si eo loco ac tempore interrogetur, vbi respondere non debeat. Verumtamen hæc juris tantum præsumptio est, quòd iussus respondere positionibus, si contumaciter recuset, censeatur confiteri, & talis quidem præsumptio, vt contra eam admittatur probatio contrarii, si videlicet rationem afferat Reus, cur ad eam respondere nolit, quia videlicet impertinentes sint, ambigua, aut captiosa: qua de re *gloss. hinc, verb. Absque rationabili*; imò verò tamen positiones tales non sint, si tamen Reus vel procurator probabiliter ostendat se per errorem pro talibus habuisse, & idèd responsionem denegasse, non debet haberi pro confesso, si sententia nondum lata sit. *arg. c. vlt. Extra h. t.*

TITVLVS XIX. DE PROBATIONIBVS.

I Reus conuentus Actoris intentionem, ac positiones non confiteatur; necessariò deueniendum est ad probationes, quare rectè jam agitur de probationibus, sed hoc tit. tantum in genere, postea in specie.

CAPITVLVM I.

Ex Epistolæ.

PARAPHRASIS.

Olim inter Imperatorè Justinianum & Recaredi Visigotorum Regis antecessores pacta intercesserant, de quibus in scrinio siue Archiuio Imperatorio plenior

cognitionem haberi posse arbitrabatur Rex, idèd voluit, Gregorium I. Pontificem scribere ad Imperatorem, vt Instrumenta ex Archiuio suo produci iuberet, ex quibus cognosci posset ad quæ præstanda Imperator ipsi ratione pactorum obligatus esset, sed Gregorius Respondit, inconueniens id fore, quia nunquam aliquis iubendus sit instrumenta querere & contra se ipsum producere, ex quibus conuincatur.

SUMMARIUM.

1. Non tenetur Reus conuentus propria instrumenta edere actori, ad fundandam illius intentionem.
2. Debet tamen actor ea edere Reo petenti.
3. Com-

3. Communia tamen instrumenta semper edenda sunt, quacumq; parte petente.
4. Dicuntur autem communia instrumenta, qua vel secundum dominii proprietatem ad plures pertinent,
5. Vel confecta sunt à persona ex publico officio & obligatione,
6. Vel qua communia sunt ratione causa, super contractu v. g. ex voluntate utriusq; partis contrahentis confecta.
7. Quod si Actor fundatam habeat intentionem, & instrumenta, qua Reo propria sunt, edi petat, ad modum tantum aut qualitates obligationis cognoscendas, vel ad ostendendam suam replicationem, edi ea debent.
8. Usurarij tamen, & similes de fraudibus suspecta persona cogi possunt, ad libros seu instrumenta rationum suarum edenda.
9. Fiscus etiam ac Reipublica speciale privilegium est ut Reum conuentum ad propria sua instrumenta edenda cogere possit.

NOtandum Vnicum. Reus conuentus non tenetur propria instrumenta edere auctori ad fundandam intentionem eius. Ita etiam habetur in lege ultima. C. de edendo & sumitur ex l. Cogi. 2. C. de petit. hered. sed aduertendæ sunt particulae, quibus usus sum. I. Sermo est de Reo, quia alia est ratio de Actore, is enim Reo petenti tenetur exhibere instrumenta sua, ex quibus is defensionem seu exceptionem elicere possit. cit. l. ult. Nam Rei fauorabiliores sunt, quam actores; & actor cum sponte prouocet, instructus ad causam venire debet. l. Qui accusa. 4. C. eod. cum tamen ipsemet Reus non ita instructus esse possit: Et nimis graue hoc foret, si prouocatus probationes & arma quibus impugnetur, præbere deberet; quod tamen rgi è ferre non debet actor seu petitor, si omnia acta & instrumenta, ex quibus veritas intelligi queat, edere jubeatur, hanc rationem affert Bartolus, & Commentator eius in cit. l. ult. II. Locutus sum de instrumentis propriis Rei, at

verò communia instrumenta edenda sunt parte petente. cap. G. Perpetuus. de fide Instrum. Sunt autem instrumenta communia pluribus modis, vt hîc Panorm. declarat n. 7. 1. Secundum Dominii proprietatem, vt quia duo sunt hæredes, ad quos bona & jura, consequenter etiam instrumenta deuoluta sunt. l. Cetera. 4. ff. Familia herciscunda; talia instrumenta seruari solent penes digniorem seu natu maiorem, aut qui ex maiore parte bonorum hæres vel dominus est. cit. l. Cetera. At si pares existant, neque conuenire possint, sorte lis dirimitur, vel apud amicum, aut in æde sacra deponuntur instrumenta. l. Si qua sunt. 5. ff. Famil. herciscund. & quoties res exegerit, petenti cohæredi aut consorti exhiberi debebunt talia instrumenta. l. Procurator. 7. C. de edendo. Videatur Cardinalis Tuscus, verb. Instrum. Concl. 267. Deinde communia sunt Instrumenta ratione personæ conficiendis, quia confecta sunt à persona ex publico officio & obligatione. l. Argentarius. 10. ff. de edendo. hoc modo acta omnia iudicis, & Notarii protocolla, petente parte, edi debent. l. 2. C. de edendo. c. Quoniam ij. h. 1. & explicat Gail. l. 1. Obseru. 106. n. 6. Item libri Mercatorum, quos ipsi saper acceptis & expensis conficiunt, veluti ex publico munere & obligatione, idque non tantum, si cum ipso mercatore, aut numulario controuersia sit, sed etiam si cum alio. l. Quædam. 9. l. Argentarius. 10. ff. de edendo. vt si controuersia sit, quanti valeat liber aut vestis, quam emi à Titio, ex libro Mercatoris, à quo pannus aut chartæ ipsi venditæ sunt, cognosci id poterit, & idem quoque hodie locum habere in nostris mercatoribus & numulariis docent DD. communiter. Decius hîc n. 27. Felinus. n. 13. Georg. Euerhardus tom. 2. Consil. 2. n. 35. Requiritur tamen vt prius saltem summariâ cognitione cognitum sit eius interesse, qui instrumentum exhiberi cupit. l. 3. §. Secundum. ff. Ad exhibendum & trad. Gail. loc. cit. n. 3. Verumtamen in tali casu necesse non est, parti totum instrumentum aut librum rationum communicare, sed eam tantum

tantum partem, quæ ad causam eius adiuuandam spectat, cit. l. *Argentarius*. §. *egi*. sed statutum locale vel priuilegium si edendum sit, videtur totum edere, cum difficile sit de eo statuere, nisi verbis omnibus consideratis & inspectis, prout Bartolus monet in *Rubric. de noui operis nuntiat. n. 7.*

6 Denique communia sunt instrumenta ratione causæ, quia videlicet super contractu vtriusque partis consensu confecta sunt, talia originalia exhiberi debent, si altera pars contrahentium petat. cit. c. §. *Perpetuus*. Ratio est, quia cum instrumentum non vnius tantum, sed vtriusque partis causâ confectum sit, idè vtrique commune censei debet iuxta l. *Prator. 4. §. Huius edicti. ff. de edendo.* & explicat *Innoc. hic n. 2.* intelligendum esse de originalibus, sin autem vna pars suo pte motu & expensis propriis exemplum originalis manu notarii confici curauit, tale instrumentum proprium censebitur partis, vt ordinariè cogi non possit ad exhibendum, sed interdum ex causa rationabili cogi poterit à iudice, si videlicet actor absque sua culpa amiserit originale, tum ne veritas & probatoria facultas pereat, peti poterit, ut Reus exemplum suum exhibeat, sicuti habetur in l. *Si quis, §. vlt. ff. de edendo, l. 1. C. eod.* & docet *Innoc. hic. Decim n. 31.* Sed obstare videtur hoc Capitulum, quia ob temporis diurnitatem Rex Gothorum amittere potuit instrumenta pactorum, & tamen Pontifex noluit admonere imperatorem, vt ex archiuio instrumenta propria produceret. Resp. Quòd Papa in hac causa non fuerit iudex, vt ex officio cogere potuerit Imperatorem ad exhibenda instrumenta contra communem juris regulam, sed nec per modum denuntiationis Euangelicæ ad id cogi poterat Imperator, nam tali denuntiationi non defertur, nisi denuntiator probet alterum contra conscientiam suam agere, juxta ea quæ docet *Innoc. in c. Nouit. n. 7. de iudiciis.* id autem in hoc casu ostendi non poterat, cum nesciretur, quidnam in instrumentis contineretur, sicuti *Panorm.*

hic notat n. 21. Accedit quòd Gregorius Papa aliam causam afferat lib. 7. *Registri. Epistola 126.* Vnde hoc c. *Sumptum est.* cur ad Imperatorem ea de re scribere noluerit; quia archiuio Imperatorum tempore Justiniani ferme penitus conflagrauit, vt penè nullum remanserit ex eo tempore scriptum.

3. Dixi in Notando, quòd Reus non teneatur edere instrumenta sua actori ad fundandam intentionem eius, at verò secus dicendum, si actor habeat fundatam actionem, quòd videlicet ipsi venditus sit fundus, sed nesciat modum & qualitates venditionis, id est; quousque se extendat, aut quibus conditionibus facta sit, sicut ex communi docet Baldus in cit. l. *vlt. n. 7.* vbi bene colligit, quòd colonus censuarius vel emphiteuticus & Vasallus teneantur edere instrumenta sua, quia non quæritur de substantia obligationis, cum se obligatos fateantur, sed de modo aut quantitate, videlicet, quousque se fundus emphiteuticus censualis aut feudalis extendat. Secundò, petere potest actor à reo vt exhibeat instrumenta, quæ necessaria sunt ad ostendendam replicationem actoris, vt docet Bartolus, in cit. l. *vlt. n. 2. Bald. n. 8.* Exempli causa, si Titius ex mutuo agens ad restituendam sibi pecuniam exhibeat instrumentum manu Notarii scriptum, vel sigillo mutuatarii confirmatum, sed Caius conuentus excipiendo dicat, non esse hanc scripturam Notarii, aut non esse hoc sigillum suum; hoc casu Titius ad sui defensionem, petere potest vt exhibeantur instrumenta alia eiusdem Notarii ex archiuio Caii, vel vt exhibeat Caius sigillum suum conferendum cum sigillo apposito literis testantibus de mutuo. Ad extremum duo specialia hîc adiungenda. Primum, quod habetur in *Clement. 1. §. Ceterum de usuris.* Feneratores seu usurarios cogendos esse vt edant libros seu instrumenta rationum, propterea quòd tales de fraude suspecti sint, quamobrem DD. plerique hanc doctrinam extendunt ad personas similes, v. g. ad nauas, caupones; vt videre

videre est apud *Felin. hic. n. 19. Gail. n. 13. Euerhard. n. 39.* Item ad omnes personas quæ de industria ac per fraudem scripturas occultè confici curarunt, vel postea occultarunt, uti docet *Euerhardus n. 38.* Alterum, id esse priuilegium fisci ac Reipublicæ, quòd Reum conuentum in causis ciuilibus (non criminalibus) cogere possit ad edenda instrumenta, quibus intentio agentis fundari queat. *l. 2. §. Diuus Hadrianus. ff. de edendo,* idque priuilegium multi extendunt ad Ecclesiasticam causam matrimonij, dotis, aliisque fauorabiles, uti videre est apud *Decium hic n. 13. Panorm. n. 19.* quod tamen non arbitror receptum, nisi quòd propter fauorem causæ facilius iudex editionem instrumenti decernere possit, quando aliter res probari nequit.

CAPITVLVM II.

Sicut.

PARAPHRASIS.

Quodam in loco consuetudo erat, ut posteaquam Actor intentionem suam plenè probauit, iuramentum ei deferretur, si autem recusaret, probationum fides eo ipso infirmaretur. Sed Alexander III. consuetudinem hanc reprobat, propterea, quòd ad iuramentum recurri non debeat nisi in probationis defectum ac supplementum.

S V M M A R I V M.

1. *Actoris iuramentum, post plenè probatam intentionem suam superfluum est, & consequenter nulla consuetudine introduci potest.*

2. *Notandum Vnicum. Consuetudo quæuis diuturna non præualet contra legem, nisi sit rationalis. c. vlt. de Consuetud. Talis erat ista consuetudo, quandoquidem iuramentum irrationabile censetur, si fiat absque necessitatis ratione. c. Et Christus. 28. De iurciurando. Nulla autem est necessitas, sed prorsus superfluum, ut Actor post-*

quam intentionem plenè probauit, v. g. per duos legitimos testes, iuramentum præstare cogatur, ergo talis consuetudo reprobari debet. Accedit quòd Actor jam ante super totâ causâ iurauerit de calumnia, ideò superuacaneum est iterum jurare, nulla nouâ jurandi causa emergente. Vti *gl. hic* monet, *verb. Consuetudinem.*

CAPITVLVM III.

Ex literis.

PARAPHRASIS.

Episcopus, vel secundum aliam lectionem, Decanus quidam & Archidiaconus inter se contendebant super finibus suarum præbendarum; nam Decanus querebatur Archidiaconum terminos suos transgressum esse, & partem fundi spectantis ad præbendam Decani occupasse; sed Archidiaconus contradicebat, se eam partem quadraginta annis possedisse; id verò negauit Decanus, imò se tanti temporis possessionem quietam habuisse asseuerauit. Super hac controuersia querebatur ex Pontifice, utri probatio incumbere debeat, petitori ne, an possessori? *℞. Lucius III. Iudicium finium regundorum,* talis esse naturæ, ut in eo, utraque persona vices duorum habeat, videlicet Actoris & Rei, ita ut ex utraque parte testes adduci possint, eorumque testimonia iudex ad fidem faciendam admittere debeat, qui verisimiliora dixerint; quòd si vtriusque partis testes æquales videantur, tunc possessoris causa præualere debet, quia iura promptiora sunt ad absoluendum, quàm ad condemnandum, præterquam in causa, quæ agit de libertate hominis, tunc enim si vtriusque partis testes æquales fuerint, pro libertate pronuntiabitur. Nam etiam possessori quandoq; probationem faciendam esse, vel inde manifestè constat, quòd iure cautum sit, ut quis præscriptionem temporis longissimi obijcit,

f f

eam

eam probare teneatur, nemo autem præscriptionem rectè obijcere potest, nisi possideat.

S V M M A R I V M.

1. Pro juribus illius fundi, qui perpetuo jure ad Beneficium spectat, agere potest Beneficiarius.
2. In judicio finium regundorum uterque litigantium, tam actoris petentis, quam rei conuerti personam sustinet; quamuis qui prior ad iudicium prouocauit, actoris magis quam Rei locum tenere censendus sit.
3. Modus quo Iudex procedere debet, in iudicio finium regundorum.
4. Possessor si actoris vicem agat, siue petendo, siue excipiendo, probare debet.

NO T A I. Si fundus perpetuo jure pertineat ad beneficium, tunc beneficiarius pro juribus eius fundi tuendis ac recuperandis in iudicio agere potest. Ita *Innoc. hic n. 1. Imola n. 2.* Nam talis beneficiarius est veluti usufructuarius fundi, usufructuarius autem pro juribus fundi agere potest, v. g. finium regundorum iudicio. *l. 4. §. finium. ff. finium regundorum*, ergo etiam beneficiarius, de quo dixi.

2 Nota II. In iudicio finium regundorum uterque litigantium, tam actoris seu petitoris, quam Rei conuerti personam sustinet, quamobrem uterque admittitur ad testes producendos pro possessione partis aut juris sui contra alterum tuenda, aut recuperanda, ita etiam habetur *l. in tribus. 13. ff. de iudic. & l. Inter. 44. §. Si familia. ff. familia herciscunda*, qui familia herciscundæ, & communi diuidendo, & finium regundorum agunt, & actores sunt, & Rei, quamobrem iudicia ista tria, appellari solent triplicia *l. cit. in tribus. & l. 2. juncta gl. ff. Communi diuidendo*. Ratio peti debet ex communi bonorum aut finium, vnde oritur, quòd uterque aduersus alterum, partem sibi aliquam petat seu dari, seu assignari. v. g. si aquarum inundatione termini vicinorum agrorum moti aut confusi fuerint, tunc duo agrorum domini directi vel

vtiles, seu usufructum, vel solum jus pignoris habentes, inuicem agunt pro possessione aut jure suo tuendo vel restituendo. *l. sed & loci. 4. §. finium. ff. finium regund.* Videatur *Decius hic n. 12.* Verumtamen is, qui ad iudicium prior prouocauit, actoris magis, quam Rei locum tenere censendus est, ita vt ipse prior de calumnia jurare cogatur, *in cit. leg. in tribus. junct. gl. verb. Actorem.* Finis & effectus huius iudicii finium regundorum est, vt agrorum termini, si amoti aut mutati fuerint, reponantur, vel si nunquam constituti fuerint, discordiæ vitandæ causâ de nouo ponantur ac dirigantur. (Modus autem quo iudex procedere debet, traditur hic & in *l. 3. C. finium regundorum*, vt primò inquiretur quantum quisque litigantium possideat, id verò cognoscetur ex eo, quantum fundi quisque arari ac conseri fecerit, *secundum gl. in cit. l. 3. verb. finiatur.* 2. quantum quisque de jure possidere debeat, seu vt de jure proprietatis iudex cognoscat. 3. Mitatur agri mensuror, vt metiatur, quanto minus vel plus habeant contententes, quam habere debeant. Id verò cognoscere poterit iudex vel ex antiquis terminis seu limitibus, de quibus probatio haberi potest, per famam, testes, libros, vel instrumenta antiqua, nam terminis antiquis adhaerendum esse, nisi ostendatur mutatio facta, habetur in *l. in finalibus ij. ff. finium regund.* potuit autem mutatio terminorum fieri per nouum contractum, vt si Dominus fundum non in integrum vendidit, sed duo v. g. agrorum iugera, juxta *l. eos. 10. ff. eod.* hoc casu mensore opus est, qui juratus esse debet & constitui alterâ etiam parte præsentem, nisi contumaciter absens sit. *cit. l. 3.* & bene id explicat Angelus Aretinus. §. quædam n. 12. *Instit. de Actor.* vbi etiam libellum format, huius finium regundorum Actionis. Videatur *Wesembe. in Paratit. l. 10. ff. tit. 1. n. 8.* vbi bene admonet, ex *cit. §. quædam.* Si controuersia in tali iudicio commodè dirimi non possit secundum diuisionem fundorum, quòd iudex ex æquo & bono procedere possit, vni parti adjudicando

cando rem controuersam, ita tamen, ut si altera grauari se sentiat, per pecuniam compensatio fiat, & quæ hic dixi de Rusticanorum prædiorum finibus regendis seu discernendis, idem pariter locum habet, si controuersia oriatur de iurisdictione territorii Ecclesiastici aut temporali, quod usque ea extendatur, seu quoad possessionem, seu quoad iuris proprietatem.

Nota III. In pari causa potior uideri debet conditio possidentis, uti habetur in *Reg. 65. in 6. & Reg. 167. ff. fauorabiliores Rei potius quam Actores habentur.*

4 Nota IV. Licet ordinaria regula sit, quod possessor probare non debeat. *S. Resinenda. Instit. de interdicit.* Excipi tamen debet, nisi possessor Actoris vicem agat seu petendo seu excipiendo.

CAPITVLVM IV.

Proposuisti.

PARAPHRASIS.

Causa matrimonialis, inter O. de Casa noua, & inter S. mulierem, à Gregorio VIII. delegata erat Prapósito S. Cataldi, coram eo partibus constitutis, mulier allegauit Viri impotentiam, juramento eam confirmans, & septem mulierum testimonio, quæ de eius Virginitate, ex aspectu testabantur, sed Vir contrarium juratus asseuerauit. Super hac re consultus Pontifex respondit, juramento puellæ, & septem mulierum testimonio potius fidem habendam esse.

S V M M A R I V M.

1. Causa matrimoniales, subinde delegantur etiam illis, qui Episcopi non sunt.
2. Viro cum juramento asserenti matrimonium consummatum creditur, nisi in contrarium ex aspectu de virginitate sufficientia adsint testimonia.
3. Neque per statutum loci, ut officiali cum juramento asserenti credatur, plenior contrarii probatio excluditur.
4. In questionibus facti, qua Iudicis notitiam

excedunt, peritorum in ea re iudicium cum credulitatis juramento requirendum.

5. Iudicis tamen arbitrio subinde relinquendum, unius tantum, an plurium iudicium requirendum sit.

1 **N**OTA I. Causa matrimonialis quandoque à Papa delegatur alicui, qui Episcopus non est. De hac re dixi in disput. *De Iurisdic. Conclus. 95.*

2 **N**ota II. Licet viro cum juramento asserenti se mulierem cognouisse, fides habenda sit. *c. Continebatur 6. De despons. impub.* propterea quod in talibus, quæ difficilis probationis sunt, major certitudo requiri non soleat, attamen talis præsumptio orta ex viri juratâ assertione refelli potest, si septem mulieres ex aspectu de virginitate testificentur, uti hic, & *c. Causam. 14. junct. gl. verb. Mulieres. hoc tit.*

Obijcies si vna pars litigantium juramentum præstitit, lis decisa censetur, ergo altera admitti non debet ad ostendendum contrarium. *R.* Interesse vtrum iudex juramentum v. g. Reo detulerit, an verò Actor cum iudicis consensu; priori casu non est Actori adempta facultas ostendendi contrarium, ut ex hoc *c. Colligitur*, & ex lege, *Cum de indebito. 25. ff. De Probationibus*, quia in mutuis probationibus, præualere debet ea, quæ potentior est, ait *Decius hic n. 3.* In posteriori autem casu, juramentum cuiusdam transactionis species est, ac proinde plenam litis decisionem inducit. *l. Admonendi. 31. de jureiur.* Quamuis etiam hoc casu excipiendum sit, nisi periculum animæ vertatur, ut in causa matrimoniali, si mulier cum viro impotente perpetuò cohabitare debeat. Hinc inferunt *Panorm. hic n. 1. Decius n. 3. Felin. n. 3.* si statutum loci sit, ut publico officiali cum juramento asserenti credatur, excipiendum esse, nisi contrarium plenius ostendatur, neque enim existimandum est, quod statutum excludere velit probationem contrarij.

4 **N**ota III. Si quæstio incidat de facto
F f 2 quod

quod iudicis notitiam excedit, tunc peritos in ea re accerere debet, eorumque iudicium cum credulitatis iuramento requirere. Ita sumitur ex hoc c. & c. *Fraternit.* l. 1. ff. de *Frigidis.* l. 1. ff. De *inspiciendo ventre.* Ceterum si ex parte consensu utriusque periti adhibeantur, ad discernendum, tunc eorum iuramentum necessarium non esse, tradit *Felin.* hic n. 9. ubi alios quoque casus recenset, in quibus iuramentum peritorum non requiritur.

Quarunt hinc DD. si lex requirat duos vel plures peritos adhiberi, & in loco tantum unus adsit, utrum alij aliunde aduocari debeant. *xx.* *Cum Panorm.* hic n. 6. Iudicis arbitrio esse committendum, utrum considerata qualitate causae, vnus iudicium sufficere possit, juxta *Authent. de non alienandis rebus Eccles.* §. *quod autem.* & tradit *Bartol. in cit.* l. 1. n. 6. *Decius* hic n. 10. *Imola* n. 5. Sin autem causa ardua sit, ut vni credendum non videatur, praesertim si pars litigans petat plures aduocari, tum id fieri debet, uti monet hic *Panorm.* n. 7.

CAPITVLVM V.

Tertiò.

PARAPHRASIS.

Canonicus Regularis amico suo sub sigillo Conuentus alienationem fecit rei Ecclesiae immobilium: cum id instrumentum exhibitum esset in iudicio, Procurator Monasterij dixit non esse cum Conuentus consensu confectum, atque sigillum adulterinum vel furtivum esse, atque ad hoc probandum introduxit fratres, qui iurati dixerunt, quotiescunque de hac alienatione mentio facta fuit, conuentum contradixisse, & quia aduersus haec testimonia pars aduersa nihil probauit, ideo Clemens III. rescribit secundum dicta testimonia fratrum esse iudicandum.

SUMMARIVM.

1. In causa sua Ecclesiae Clericus etiam vel Religiosus potest esse testis.

2. Excipiens contra aduersarij instrumentum, ex eo quod dicat, sigillum adulterinum, aut furto sublatum esse, admitti debet ad probandum.

NOTA I. Clericus vel Religiosus potest esse testis in causa Ecclesiae suae, ita habetur *infra c. Insuper. 6. de Testibus.* Hoc loco difficultas est, nam hi testes videntur fuisse singulares, & ideo non sufficientes ad probationem faciendam. *Arg. c. Cum dilectus. 32. De elect.* *xx.* Non fuisse singulares, sed testes, quia singuli testificabantur de eodem facto, videlicet communi contradictione seu reclamatione Conuentus, sed casus dicti *c. Cum dilectus*, diuersus est, nam ibi suffragia in secreto data fuere, & ideo Canonici testari non poterant, nisi de singularibus suffragationibus, ita ut quisque ipsorum diceret, se in electum non consensisse.

NOTA II. Contra instrumentum in iudicio productum aduersarius excipere potest, sigillum esse adulterinum, id est, vel factum secundum imitationem, vel furto sublatum, & ad alterutrum horum per testes probandum admitti debet. *c. Cum Ioannes. 10. De fide instrument.* Et verò talis probatio fieri potest, non tantum directe ostendendo fraudem, sed etiam indirecte, videlicet reclamatum fuisse à Conuentu, v. g. ne fieret, instrumentum Conuentus nomine productum, esse suppositivum.

CAPITVLVM VI.

Iurauit.

PARAPHRASIS.

Titius iurauit se Caiam ducturum in uxorem, & cum vellet eam ducere, seu verbis de Praesenti contrahere, quidam opposuerunt se, iuramenti secundum morem editis, quod illi in quinto Consanguinitatis gradu coniuncti essent, quorum testium iuratae depositiones cum publicatae essent, alius testis accessit, qui probare voluit, nullo illos consanguinitatis gradu junctos esse, dubitauerat iudex

dex vtrum iste audiri deberet, ad hoc respondit Clemens III. standum esse probatione testium priorē.

SUMMARIUM.

1. In casu, quo Iudex post factam denuntiationem ex officio procedit, per viam inquisitionis, potest denunciatus postmodum esse testis.
2. Postquam in causa conclusum est, alij testes super iisdem articulis ordinariē recipiendi non sunt; nisi anima periculum vertatur, aut vitium sententia per partem non sit remissibile.

NOTA I. Qui crimen vel impedimentū matrimonij iudici denuntiat, potest deinde adhiberi, vt testis, sicuti colligitur etiam ex c. *In omni. 4. de Test.* Debet tamen id intelligi, si iudex ex officio per inquisitionē procedat, non item, si denunciator litem prosequi velit, cum non possit idem esse accusator, aut litis promotor, & testis, sicuti pluribus allegatis bene notauit *Decius hic Not. 4.*

NOTA II. Si publicatis testibus conclusum sit in causa, alij testes super eisdem articulis recipiendi non sunt, sed sententia ferenda secundum testium priorū depositionem. Ita *gl. hic verb. Partibus.* & habetur etiam in c. *Fraternit. 17. de testibus.* Ratio dari debet, quia partes per conclusionē in causa censentur renuntiasse probationibus, igitur ad nouas super eisdem articulis admitti non debent, ordinariē loquendo. Consequenter vbi hæc ratio cessat, quia partes non possunt probationibus suis aut defensionibus renuntiare propter animæ periculum, in eo casu dicendum est, quod etiam post publicatas attestations, imò etiam post latam sententiam testes aliæque probationes recipi debeant, vt in casu c. *Series. 26. de testibus.* si agatur de impedimento matrimonij contracti, vt notauit *Hospiens. ibi. & gl. hic.* & DD. communiter, quando aiunt, quod vbi periculum animæ vertitur, sententia non censetur transire in rem iudicatam, propterea quod in tali casu vitium sententiæ non sit per partem non appellantem remissibile, vt ait *Imola hic n. 4. Panorm. n. 5.*

& sumitur ex c. *Lator. 7. de re iudicata.* Imò etiam si ageretur de impedimento matrimonij contrahendi, & post publicationem testium ex vtraque parte productorum, vnus sponsorum nouos testes producere vellet, ad ostendendum impedimentum, audiri deberet, propter animæ periculum, si matrimoniū inter impeditos seu inhabiles contrahatur. Contra hanc tamen doctrinam communiter traditam sentit & obijcit *Decius hic n. 6.* in causa capitali, si crimen probatum sit, vel Reus confessus, sententia lata transit in rem iudicatam, *Arg. l. 1. §. ult. ff. de question.* & tamen vitium seu iniquitas sententiæ non est remissibilis per partem, videlicet Reum condemnatum, cum non sit Dominus membrorum suorum. *l. Liber homo. 27. ff. ad legem Aquiliam,* consequenter iuri defensionis suæ renuntiare non potest. *Re.* hoc argumento conuinci, quod Reus post latam sententiam vltimi supplicij aut mutilationis, semper audiri debeat super defensione suâ, si probabiliter existimari possit, eum malitiosè non agere, sed innocentiam verè demonstrare posse. Et ad *l. 1. §. ult. Re.* ex eo loco potiùs contrarium colligi, vt *gloss. Marginal. notat, & Bart. ibi. n. 4.* quod videlicet Reus in causa capitali, etiam postquam conclusum est, audiri debeat, si innocentiam suam ostendere velit; sed neq; latam sententiam condemnationis iudex exequi debet, si de innocentia Rei postea constiterit, quamuis in dicto §. dicatur, quod non ipsemet iudex inferior, qui tulit sententiam, rescindere debeat, sed causam (tanquam arduam) ad principem deferre. Interim verum est, quod iudices propter præsumptionem, quam habent contra Reum legitimè damnatum, reuocationem eius post confessionem aut latam sententiam plerumque attendere non soleant.

CAPITULUM VII.

Post cessionem.

PARAPHRASIS.

Ait hoc c. *Innocentius III.* cum ipsi ex
ff 3 literis

literis iudicis ordinarij (quibus in hae re standum est, donec contrarium probetur) constiterit, quòd Vitus excommunicatus fuerat, quando procuratoris officium assumpsit, ipsum tanquam procuratorem in iudicio recipere noluisse.

S U M M A R I U M.

1. Fides habenda est literis ordinariis debite munitis, dum oppositum probetur.
2. Sigillum propriam à quocunque etiam priuato appositum, & legitime recognitum, fidem facit literis in praiudicium apponentis.
3. Quamuis consultum sit, vt alia etiam cauetela ad fidem faciendam idonea adhibeantur.
4. In praiudicium tamen alterius plenam fidem non facit sigillum à priuato appositum; faciunt tamen plurium vite probata virorum sigilla, si recognita fuerint.
5. Qualem fidem etiam facit appositum literis sigillum publici magistratus aut communitatis, saltem attendendo consuetudinem Doctorum, quamuis de iure comuni contrarium probabilius sit.
6. Qui in excommunicatione positus Procuratoris munus assumpsit à iudicio per exceptionem repelli potest.

1 **N**O T A I. Literis Episcopi alteriusue Ordinarij (sigillo aut subscriptione munitis) fides habenda est, donec oppositum probetur: Difficilis hinc quaestio proponitur, num sigillum appositum literis, sufficiat ad fidem faciendam. R. &

2 Dico I. Sigillum proprium à quocunque etiam priuato appositum, facit fidem literis in praiudicium apponentis, est communis doctrina, cuius ratio est, quia sicuti subscriptio, ita & sigillum adhibetur ad fidem faciendam scripto, id est, emanasse ab eo, quem sigillum vel subscriptio ostendit, opus tamen est recognitione, id est vt cognoscatur esse scripturam aut sigillum eius, de quo profertur, juxta l. Si Procuratorem. 65. ff. de Procuratoribus. vbi Bart. n. 1. Est autem controuersia inter DD. si negetis, cuius sigillum esse perhibetur, cuiam probatio in-

cumbat; communior est sententia, gl. & Bart. in cit. l. Couarr. in pract. quest. c. 22. n. 9. Menochij in arbitr. casu 173. Georg. Euerhard. vol. 1. Consil. 51. n. 6. si is, cuius sigillum esse perhibetur, neget suum esse, aut à se appositum, probationem incumbere affirmanti, quamuis contrarium docuerit hic Anton. Decius in c. 3. n. 2. hoc tit. Mascard. in Volum. 3. Conclus. 1032. n. 9.

Corollarium. Cautus esse debet, qui alicuius obligationis confessionem suscipit, vt non contentus sit sigillo, sed requirat etiam subscriptionem sigillantis, quia ea facilius recognosci & minus in dubiū reuocari potest. Consultius verò est, vt duo testes adhibeantur, vel publicus notarius, qui de sigillatione, subscriptione, & vno verbo de consensu contrahentis, v. g. donantis testentur, vti Bartolus monet in cit. l. Si procuratorem. n. 3. Præterea cautus esse debet, qui confessionem accipit, vt accipiatur sigillum proprium sigillantis, quamuis etiam alienū adhiberi possit, cum proprium non habeatur, vel ad manum non sit, sed expediat vt hoc ipsum in instrumento dicatur, signantē alieno sigillo vsum fuisse, qua de re Mascard. cit. Conclus. n. 18. de hoc plura in c. Inter. de fid. Instrum. Limitari debet superius tradita comunis doctrina 1. quòd iudicis arbitrio permittatur, vt ex circumstantiis praesumptionem facere possit, sigillum vel subscriptionem eius esse, quem praefert, nisi eam cōtrariis maioribus praesumptionibus idem superare possit, vti Menochius indicat n. 3. 2. Ob temporis antiquitatem seu vetustatem accedit autoritas & fides sigillo, praesertim cum recognitio seu approbatio eius facile tunc fieri non possit, vti annotauit Euerhard. cit. consil. 51. n. 7. Limitant multi, nisi sit sigillum videlicet Episcopi alteriusue Ordinarij, Capituli vel vniuersitatis in rebus pertinentibus ad eius officium: quod tali sigillo indistinctè fides habeatur, docet Bart. in sup. cit. n. 3. gl. marg. 16. vbi ait, quòd literæ quibus publicum sigillum affixum est, hoc ipso approbatæ censentur. Et Menoch. in cit. casu 113. quod necessaria non sit alia recognitio, cum satis notum sit, esse sigillum authentic-

theticū alicuius Magistratūs, quippe quod difficilius surripi aut falsari potest, quā priuati alicuius sigillum. Et id verum esse videtur, & vsu receptum, dummodo nulla adsit suspicio fraudis, vti admonet *Felin. hic n. 18.* & colligitur ex *c. 1. de Clericis peregrinis*, videatur *Comarr. loc. cit.*

4 Dico II. Sigillum à priuato appositum literis, fidem plenam non facit contentis in literis, quatenus cedere potest in alterius præiudiciū, sed secus esse videtur, si sit sigillum publicum Magistratūs aut comunitatis. Prior pars assertionis est certa, quia sigillum non potest plus fidei facere, quā testimonium, ad quod significandum adhibetur, vnius autē priuati viri testimonium non sufficit ad plenam fidem seu probationem. *c. Licet 23. de testibus*. ergo nec sigillum eius: duorum autem vitæ probatæ virorū sigilla, si recognita seu approbata fuerint, fidem faciunt literis in præiudiciū alterius; at verò in proprium præiudiciū, sigillum vel subscriptio sigillantis, fidem facit, si recognita fuerit, perinde ac propria confessio, vti constat ex prima responsione; Altera pars assertionis, hunc sensum habet, si literæ Magistratūs ex sigillo publico vel subscriptione cognoscantur, quòd fidem plenam faciant, etiam in præiudiciū alterius. Sumitur ex hoc capitulo, vbi absolutè dicitur, quòd literis ordinarij iudicis credatur in præiudiciū subditi, qui excommunicatus dicitur. & ex *l. Si publicanus. 4. §. de reb. ff. de Publicanis*. tradit *Bart. in cit. l. si Procuratorem. gl. in c. 2. de fide Instrum. Decius hic n. 7.* si enim Notarij publici literis propter publicū eius officium & obligationem plena fides habetur, vti docet *gl. & DD. in l. in donatione 31. C. de donationibus*, cur non etiam literis consignatis ab Episcopo aut alio Magistratu, in pertinentibus ad officium eius. Verumtamen tradita doctrina fermè tantū niti debet consuetudine Doctorum, vti admonet *Baldus in Rubr. Cod. de fide Instrum. n. 45. arg. c. Cum dilectus 1. de fide Instrument. & Felinus hic n. 8.* refert Dominos Rotæ dicentes, quòd consuetudo curiæ Romanæ, & totius orbis hoc teneat, quòd sigillatis literis Episcopi

credatur, quando in spectantibus ad officiū testatur, v. g. quòd duo Clerici beneficia permutarint &c. Verumtamen spectato communi iure, probabilior est sententia *Panorm. hic n. 5. Felin. n. 7. Baldi loc. cit. & aliorum*, quòd solis literis siue instrumento iudicis vel magistratūs credendum non sit, in alterius præiudiciū, non enim plus fidei adhibendū est literis seu voci mutæ, quā voci viuæ, atqui Episcopo aliquid voce viuā asserenti in alterius præiudiciū, fides non habetur. *c. Si tantum. 6. q. 2.* ergo nec literis eius. Quamobrem securius est, vt dicatur, instrumentū à iudice ordinario aut delegato, vel quolibet Magistratu scriptum aut obsignatum, non censi authenticum & fide plenā dignum in alterius præiudiciū, nisi insuper testium subscriptione munitum sit, exceptis causis leuibus, in quibus tanta certitudo necessaria non videtur, quanta in arduis, vt *Panorm. hic monet n. 6.* Ad argumentum quod sumptū est ex officio Notarij, bene respondet *Panorm. n. 5.* quòd ipsius potestas, vt authenticum instrumentū adhibitis testibus, etiam sine ipsorum subscriptione conficere possit, extraordinaria & exorbitans sit, quia ad hoc specialiter per publicum officium deputatus est; id verò extendi non debet ad iudicem, absque expresso juris textu.

6 Nota II. Si quispiam procuratoris munus in excommunicatione assumpsit, à iudicio per exceptionem repelli potest; ita docet *Innoc. hic in fine. Decius n. 17. Suar. de censur. disp. 16. sect. 8. n. 19. & seq.* Sunt autem duo modi id explicandi, primus est, quem sequitur *Decius*, quòd Vitus iste credebatur adhuc persistere in excommunicatione, & nondum absolutus esse, ideò meritò repelli poterat, imò debebat à iudicio repelli, si vitandus fuit. Alter modus & textui magis conformis, est *Suarij n. 14.* Vitum ideò solum à Pontifice repulsum fuisse, quia in excommunicatione positus non sine iniuria Ecclesiasticæ potestatis, Procuratoris officium susceperat. Contra hanc doctrinam sentit *glossa hic verb. Excommunicatus. Panorm. n. 10. Imolan. 8. Felin. n. 20.* & alij communiter, quos refert & sequitur *Sairus in thesauro lib. 2.*

lib. 2. c. 8. n. 6. quod constitutio Procuratoris excommunicati, non tolerati, ipso jure irrita sit, ita ut acta eius in iudicio non valeant, tamen si interea absolutus sit, verumtamen tanta censura ex verbis huius Capituli non colligitur, neque alius textus afferri potest, quare cum in materia pœnali ac restringibili versemur, extensio hæc DD. ultra verborum proprietatem, probabilis videri non potest. Vide quæ à nobis dicta sunt, *l. 1. tract. 5. p. 2. c. 2. n. 14.*

CAPITVLVM VIII.

In præsentia.

PARAPHRASIS.

Inter duos fratres ex vna parte, & quoddam Monasterium ex alterâ parte coram Ecclesiæ Romanæ Cardinale vertebatur quæstio super bonis & juribus hæreditatis. Duo illi fratres proposuerunt, quod frater ipsorû germanus quondam testamentum fecerit, in quo Marcum filium suum hæredem instituit, præcipiens, ut si sine liberis decesserit, bona ad fratres suos deuoluerentur, quamobrem per actionem hæreditatis petebant bona omnia sibi restitui, quæ Monasterium possidebat, atque insuper in posterum cohiberi à molestationibus. Sed Syndicus Monasterij ex aduerso opposuit, Marcum se & omnia sua Monasterio obtulisse, ideòque omnia eius bona ad Monasterium deuoluta esse, consequenter petere Monasterium bona, quæ fratres inuaserant, sibi restitui, & super ceteris silentium illis imponi. Contra hæc replicabant fratres germani, quod Marcus dum se & sua Monasterio offerret, Minor annis fuerit, & quod votum suum, quod ex ætatis infirmitate conceperat, postea maturior factus reuocârit, firmum itaque manere, quandoquidem Marcus sine liberis decessit, quod hæreditas ex Patris eius testamento ad ipsos pertinere debeat, Syndicus verò ad hæc respondit, licet dictus Marcus ex Monasterio egressus fuerit, postea tamen iterum se & sua humiliter ac deuotè obtulisse, oblatio-

nem suam juramento confirmans: quamobrem, licet detur primæ oblationis tempore fuisse minorem natu, tamen probatum non esse, quod tempore posterioris oblationis minor natu fuerit; præterea verbum istud *Minor natu* seu Minor annis ambiguum sensum habet, cum & de Minore annis quatuordecim seu impubere intelligi possit, & de Minore annis viginti quinque. Consequenter talis ambigua exceptio Monasterio obesse non debet, cum dicta donatio valeat, si facta & juramento firmata sit intra annos pubertatis ante completos annos viginti quinque. Accedit & id, quod Marcus censeretur non possit sine hærede decessisse, quando Monasterium hæredem suum reliquit; propter hæc allegata cõsiderans Cardinalis quod Syndicus Monasterij intentionem suam plenè probârit, at verò ex parte aduersa nihil sufficienter probatum sit, ex mandato Papæ sententiam protulit, fratribus germanis silentium imponendo super petitione, eosque ad restitutionem condemnando eorum, quæ ex bonis Monasterij occupârunt.

SUMMARIUM.

1. *Consortes eiusdem litis possunt eodem libello Reum conuenire.*
2. *In fauorem Ecclesiæ, aut alterius piæ causæ donatio omnium bonorum præsentium & futurorum facta, valida est.*
3. *Quamuis de jure antiquo quindecim anni sufficiant ad professionem religiosam, de nouo tamen Concil. Tridentini jure anni sedecim requiruntur.*
4. *Quæ jure civili statuta sunt circa minores 25. annis, quatenus cum vel sine consensu Curatoris obligari, aut bona sua alienare possunt, vel non possunt, locum non habent circa hos minores, puberes tamen, Religionem professuros, quibus liberè licet de bonis suis disponere.*
5. *Etiã per testamentum, seruatis tamen debitis solemnitatibus.*
6. *Factum de quo constat, præsumitur legitime factum esse, & probatio contrariâ illi incumbit qui negat.*

7. Dubia & ambigua probatio non relevat probantem.
8. Qui substitutus est in testamento in defectum liberorum, excluditur à monasterio in bonis sui Professi illa substitutione gravati; non quidem quia monasterium loco vili habetur, sed quia testator censetur aequè dilexisse monasterium, ac liberos.
9. Substitutus tamen alia causa pia in defectum liberorum, non videtur excludi taliter à monasterio.

NOTA I. Duo in causa sibi communi Neodem libello & actione Reum convenire possunt. Ita annotavit *Panorm. hic. not. 1.*

2. Nota II. Tametsi alioqui irrita sit donatio bonorum omnium, tam presentium, quam futurorum seu deferendorum, quia liberam de bonis testandi facultatem adimit, quod jure civili indecens censetur, ut docet *glossa, Bart. & alii in l. Stipulatio. 61. ff. de verb. oblig.* tamen favore Ecclesie, aut alterius pie cause valere debet, cum jus civile pietatis opera restringere aut impedire non possit, ut ex communi sententia docui *lib. 3. tr. 4. c. 12. n. 16.* Ceterum jure novo *Concil. Trid. sess. 25. c. 16. de Regularibus.* irritè pronuntiantur donationes & renuntiationes quæ sunt à Novitiis aut professuris religionem ante duos menses professionem ipsam proximè antecedentes; deinde si intra hoc bimestre spatium fiant, requiri debet consensus Episcopi, etiamsi Ordo exemptus sit (nisi super hac re privilegium Apostolicum habeat) atque nisi professio ipsa sequitur, donatio facta intra bimestre corrumpitur. De hac re fusè egi, *lib. 3. c. 7. n. 5. & seq. Videatur Rodrig. tom. 2. Reg. q. 48.*

3. Nota III. Minor annis 14. religionem profiteri non potest, ut hinc apparet, & in *c. 1. de Regular. in 6.* sed Major annis 14. seu qui ingressus est annum 15. poterat olim profiteri, eaque professione omnia bona sua in monasterium transferre, quod successio- nis & bonorum capax esset. *authent. Ingressi C. de Sacrosanct. Ecclesiis. c. Quia ingredienti- bus. c. Si qua Mulier. caus. 19. q. vlt.* hodie

autem ad professionem in utroque sexu requiritur ætas annorum sedecim, & ut professionem faciens integro anno post susceptum habitum in Religione steterit. *Con- sil. Trid. sess. 25. cap. 15. de Regularibus.*

Nota IV. Tametsi Cæsareo jure con- stitutum sit, ut Minor 25. annis, si Curato- rem habeat, absque eius consensu & autho- ritate civiliter obligari non possit. *§. Admo- nendi. Instir. quibus alien. licet. & lege 3. C. de in integrum restitut.* Si autem curatorem non habeat, tunc obligetur quidem ex con- tractu, sed si læsus sit, in integrum restitui debeat *cit. l. 3.* Præterea siue habeat siue non habeat Curatorem natu minor, ut bona immobilia & mobilia pretiosa quæ ser- vari possunt, sine judicis decreto alienari nequeant. *l. Lex qua. 22. C. de administr. tu- torum. l. Siquidem y. l. Si pradium. 16. & to- to ferme titulo. C. de prædiis Minorum.* hæc tamen constitutiones locum non habent, si pubes minor natu religionem professurus, bona sua seu in monasterium transferat, seu cuicumque alteri donet, ut hinc docet *Joan. Andr. n. 15. Panorm. n. 10. Decius. n. 35.* Ratio dari debet, quia profitendo re- ligionem in ordine ad bona sua censetur mori, cum postea nec de bonis, neque in- ter vivos, neque per ultimam voluntatem ipsi disponere concessum sit. *cit. c. Quia in- gredientibus.* Consequenter professuris re- ligionem, concedendum est, ut de bonis om- nibus liberè disponere possint, dummo- dò puberes sint. *arg. l. Quæ ætate. 5. ff. Quæ testamentum facere possint. & authent. de Mo- nach. §. Illud quoque.* Imò plurimi DD. sunt, ut *Bart. authent. si qua Mulier. n. 7. Cod. de sa- crosanct. Ecclesiis Panorm. hic n. 49. Clarus, verb. Testam. q. 28. n. 2.* qui putant valere testamentum conditum ante Religionis professionem, etiamsi minus solenne sit, quia tale privilegium militibus terrenis con- cessum est. *l. 1. & seq. ff. de testam. militis.* sed contraria sententia *Sanch. l. 7. Moral. c. 3. n. 18.* placet, cum nullus textus juris afferri possit, quòd talis facultas absque so- lennitatibus testandi Novitiis aut ingressu- ris religionem concessa sit, neque est eadem

aut æquiparata ratio inter militem & nouitium, vt vnus specialia jura aut priuilegia ad alterum transferri possint. Porro licet solenniter testari debeat religionem ingressurus, aut professurus, tamen liberè testari potest, ita ut neque ipsum Monasterium instituere teneatur, idèoque nec rumpatur testamentum per religionis professionem, sicuti rumpitur per superuenientem filii natiuitatem, quandoquidem nullo jure ostendi potest Monasterium loco filii habendum esse. quã de re Sanchez, *Joc. cit. n. 34. Molina tract. 2. disp. 139. n. 15.* accedit quod testamentũ semel legitimè factum, non tollatur per simplicem etiã expressam, multo minùs tacitã abolendi voluntatem. §. *Ex eo autem. Instit. quibus modis Instrumenta infirmantur.*

6 Nota V. Si constet de facto, præsumi debet legitimè factum esse, v. g. Professionem religionis in requisitã ætate editam, atque probatio contrarii illi imponenda est, qui negat, vt ex hoc c. colligitur, & habetur in *l. Sciendum. 30. ff. de V. O.* & in *l. Ab ea. 8. ff. De Probationibus.* vt Paulus J. C. respondit, si quis negat emancipationem relictã factam, probationem ipsum prestare debere. Neque dicam, quòd qui ætatem suam maiorem vel minorem asserit, eam probare teneatur secundum glossam in *c. Presbyter. dist. 78.* vbi gl. ait, quòd ordinem petens, probare debeat ætatem, quæ requiritur. & in *l. Cum te 9. C. De Probationibus.* habetur, quòd asserens, se minorẽ, vt in integrum restituitur, ætatem probare teneatur, ergo non rectè Monasterii procurator onus probandi minoritatem seu defectum ætatis in fratres germanos reiecit. Accedit *cap. Cum nobis. 19. de elect.* vbi secundum Rubricam dicitur, nisi electus ostenderit, se ætatem legitimam habuisse, electionem eius confirmandam non esse, ergo similiter Marcus Professus, vel post mortem eius procurator ostendere debebat, professionis tempore ætatem legitimam adfuisse. Resp. Enim, cum ætas hominis in continuo naturali processu sit, idè de nulla certa hominis ætate præsumptionem fieri posse, vt gl. obseruat, in *oit. l. Cum te.* præterquam quòd in dubio ex

corporis constitutione & aspectu (non turpi) iudex coniecturam capere possit. *l. minor. 32. ff. de Minoribus.* & tradit Menoch. in *arbitrariis. casu. 117.* Quamobrem vnica regula tradi solet in *gl. in cit. c. Presby. & gl. Marg. in cit. l. Cum te.* quòd fundans intentionem suam super ætate alicuius maiore vel minore, probare teneatur, atqui in causa huius capituli Syndicus Monasterii principaliter non fundabat intentionem suam super ætate completã annorũ quatuordecim, sed super professione, quã probatã, præsumptio aderat ætatis requisitã; sed fratres germani, ad ostendendum professionem & translationem bonorum in Monasterium irritã fuisse, debebant intentionẽ suam principaliter fundare super Minoritate seu defectu ætatis, & idè onus probandi ipsis incubuit.

Nota VI. Dubia & ambigua probatio nõ releuat probantẽ. Ita gl. magna. h. c. *Jo. And.* & alii, quia præsumptio semper est pro Reo conuento, donec aliquid contra ipsum ostensum sit, dum autẽ verbum aliquod, aut sententia dubia profertur, nihil ostensum est, cum nesciatur in quo sensu intelligi debeat.

Notandum Vlt. Si grauatus hæreditatem aut legatum alteri restituere, sine liberis decesserit, aut Religionem profiteatur, tum, excluso substituto, Monasteriũ succedit in bonis professi. Ita habetur in *auth. De Sanctiss. Episcopis. §. Sed & hoc.* Bene autem monet Bartolus, in *auth. Nisi rogat. 1. Cod. ad Trebell.* causam huius constitutionis non esse eã, quæ in hoc c. à syndico allata est, quia Monasterium loco filii habeatur, id enim ex nulla lege aut Canone ostendi potest, sed causa ea est, quæ in *cit. auth. de Sanct. Episcopis* insinuatur, quòd, quia præsumptio esse debeat, si testator in mentẽ venisset, cogitare de Religionis professione, talẽ casum excepturus fuisset, cum non minùs causam piam Monasterii, quàm liberos dilexisse censeatur. Et hinc obiter colligitur, si actoris aut Reii intentio iusta sit, tametsi ineptis rationibus eam ostendat, nihil tamẽ id causẽ obesse, vt iudex ex officio jura suppleat. Lamentanda verò est tradita doctrina, quòd, si causa pia substituta sit in liberorum defectum, v. g. si filius meus sine

sine liberis decesserit, bona eius pauperibus dentur, vel Ecclesiæ parochiali, hoc casu preferenda sit causa pia substituta, quia si privilegiatus concurrat cum privilegiato, tum cessantibus privilegiis seruetur jus commune. Vtilitatem hanc tradit *Panorm. n. 36.* & limitatio ista habetur in *cit. authent. expressè §. Sed & hoc.*

CAPITVLVM IX.

Licet.

PARAPHRASIS.

Inter Archiepiscopum Rauennatensem, & Communitatem Faentinam Controversia erat super iurisdictione, honore, atque districtu in Villa S. Petri & Castro Arioli, quod dicta Ecclesia ad se pertinere dicebat, hæc causa coram Pontifice discutienda erat; sed quia partibus molestum erat, testes Romam adducere, idè Pontifex Innocentius III. mandauit Episcopo Placentino, vt attestaciones tam super negotio principali, quam super personis testium intra trimestre reciperet; dein partis vtriusque procuratores vnà cum signatis attestacionibus ad Sedem Apostolicam destinaret. Publicatis postea coram Pontifice attestacionibus Syndicus Fauntinorum proposuit, se quaedam contra testes partis aduersæ obiecturum, sed æconomus Ecclesiæ replicauit, id fieri non debere. Tum Pontifex interlocutoriè decreuit, Syndicum illum audiendum non esse, quia tempus trimestre, quod partibus datum erat ad proponendum tam super testibus, quam super negotio ipso, elapsus esset. Postea idem Syndicus obiecit, quod testes corrupti falsum dixissent, tunc considerans Pontifex huiusmodi exceptionem, non solum ante, sed etiam post sententiam opponi posse, licet aliqui crederent, malitiosè ad impediendum processum talia obiici, tamen ne à juris regula discederetur, Papa præcepit quibusdam, vt testes super exce-

ptione corruptionis ac falsitatis à Syndico producendos intra mensem reciperent ac examinarent, de omnibus circumstantiis exactè inquirentes, indulto altero mense Ecclesiæ æconomus, intra quem, si velit, alios ex aduerso testes producere possit, atque dicta testium diligenter conscribentes, ea postea Pontifici mittant, viginti dierum spatio præfixo parti vtrique, intra quod vnà cum attestacionibus, Papæ conspectui se præsentare debeant. Id cum factum esset, attestaciones istæ publicatæ sunt, atque permissum partibus, vt quæcunque vellent, proponere possent, tametsi verò Fauntini multos testes super negotio principali produxerint, vix tamen sex eorum concordés fuerunt, sed alii quidem inter se contradicentes, alii autem singulares reperiebantur. Quod verò attinet ad testes qui à Fauntinâ vniuersitate producti erant, ad reprobandos testes Ecclesiæ Rauennatensis, plures eorum reprobandi erant, quia euidentissimè inter se contradicebant, alii verò pauci, licet expressè non fuerint reprobandi, tamen ad eò malæ famæ & leuis opinionis erant, vt eorum dictis nulla aut modica fides adhibenda esset. Sed & iidem testes Fauntini vniuersim reprobandi erant, quia non probârunt id, ad quod probandum Syndicus se adstrinxerat, videlicet quod testes Rauennatenses corrupti falsa dixissent; quia tametsi de corruptione aliquid dixisse videbantur, tamen de falsitate nihil omnino dixerunt. Ceterum ex depositione testium productorum ex parte Ecclesiæ, qui & numero plures erant & aptiora ac propinquiora negotio afferebant, clarè apparebat ex vniuersis articulis iurisdictionem exprimentibus, quod dicta Ecclesia à sexaginta jam annis in illis locis iurisdictionem, honorem ac districtum possederit, quamobrem si Communitas Faentina ab annis quinquaginta, sicut testes eorū asseuerasse videntur, seruitia quædam in iisdem loci percepit, colligitur eos (Fauntinos) possessionem iniuste

iniuste inchoasse, cum duo simul, & eodem modo eandem rem in solidum possidere haud possint, praesertim cum Fauentini iustum possessionis titulum non ostendant, at verò pro Ecclesia Rauennatensi ex Imperatorum & Pontificum Romanorum priuilegiis appareat, eorum possessionem iustam esse. Quare cum constet Fauentinos ex eo tempore, quo possessionem suam probauerunt, aliqua minus iuste ac sine titulo occupasse, atque Procurator Rauennatensis petiuerit, Fauentinos prohiberi à turbatione & inquietatione, ideò perpendit Pontifex, in hoc casu non ita locum esse interdicto, *vti possidetis*, vt dicatur, *vti possidetis, ita possideatis*, quandoquidem probationes Ecclesiae longè potiores sunt, & ideo ea in interdicto hoc possessorio superare debeat: quapropter Pontifex dictam communitatem super honore, iurisdictione & districtu locorum condemnat in iudicio possessorio, de quo tantum actum fuerat, perpetuum silentium indicens, & vt in posterum à molestatione abstineatur.

S V M M A R I V M.

1. In oppido vel ciuitate competere alicui possunt Iurisdictione, Honor & Districtus.
2. Quibus modis Actor in iudicio versari possit, si latius sumatur actoris vocabulum.
3. Variis varia iurisdictione competit.
4. Ad testes producendos, vel vt contra eos opponatur, certum tempus à Iudice praefigi potest.
5. Admittitur etiam post latam sententiam ad hanc rescindendam oppositio, & probatio, de testium aut instrumentorum falsitate; ita vt executio prioris sententiae suspensa maneat, dum lis super testium aut instrumentorum falsitate pendet.
6. Si pars litigans, testibus contra se productis, nulla forma interrogatoria, vel non sufficienter, tenetur Iudex ex officio supplere defectum accuratè ea formando.
7. Testi improba vita, in causis civilibus, aut

criminalibus exceptis, admissio, pro ratione maioris, aut minoris improbitatis, aliqua, aut nulla fides adhibenda.

8. Dari non possunt duo eiusdem rei possessores simul in solidum.

9. Quam formam vti debeat Iudex in possessorio retinenda, & vnde colligi possit, penes quem litigantium sit possessio, si plures eam sibi in solidum attribuunt.

NOTA I. Tria sunt quae alicui in ciuitate, vel oppido &c. competere possunt. Iurisdictione, honor & districtus. Iurisdictione interdum accipitur late, ita vt imperium sit eius species, interdum strictè, in l. 3. de iurisdictione. vbi iurisdictione distinguitur ab imperio mero, quod jus gladii continet. Mixtum autem imperium dicitur, cui non tantum imperium, sed etiam iurisdictione inest, vt tutores dare, in bonorum possessionem mittere. cit. l. 3. Denique iurisdictione cui Imperium non inest, sed tantum mercenario iudicis officio exercetur, ea simplex dicitur, vt explicat Bart. in l. 1. ff. de iurisdictione, & dixi lib. 1. tr. 4. c. 5. Honor dicitur, quod aliquis in eo loco tanquam Dominus agnoscat, cui obsequia & seruitia deferenda sint. Districtus verò significat terrae spatium munitum & armatum iurisdictione, vt ex Baldo definit Felinus c. Rodolph. n. 18. de Rescriptis. Dicitur etiam quandoque iurisdictione territorialis.

Pro meliore intellectu quaedam sunt aduertenda. 1. Tribus modis aliquis in iudicio versari potest, vt actor, late sumpto vocabulo, exigendo publicam vindictam ob crimen accusati. 2. Aliquid exigendo à parte ob jus seu obligationem priuatam. 3. Exigendo aliquid à iudice ob utilitatem priuatam. In primo casu, qui iudicio criminali ad publicam vindictam agit contra malefactorem, is crimen commissum in libello proponere debet, sed necesse non est, vt conclusionem seu petitionem adiungat, cum iudex ex nobili officio teneatur penam publicam decernere, si crimen in iudicio notificatum fuerit l. 3. ff. de accusationibus. In 2. Casu, qui pro priuatâ utilitate agit contra aduersarium, debet

debet in libello concludere & petere id, ad quod Reus obligatus est. *l. 1. ff. De edendo*, nam iudex tunc & non aliter officium suum Actori impartitur, idem enim dicitur hoc iudicis officium mercenarium, quia adstrictum est seu deserviens actioni, prout explicat *Bartolus in cit. l. 1. n. 10*. In tertio casu, petitio ad Iudicem referri debet, ita ut eius officium misericorditer imploretur, v. g. ad tutorem dandum, ad in integrum restituendum, dispensationem aliquidve beneficium conferendum. Strictius enim obligatur pars ex contractu aut delicto, videlicet secundum commutativam iustitiam, non autem tam strictè iudex ex officio suo nobili obligatur ad succurrendum utilitati privatae, sed tantum ex æquitate aut iustitia legali, ita tamen, ut frequenter iniuria quædam reputetur, si denegetur; *l. 1. §. plane. junct. gl. marg. ff. De aqua quorid.* & idem etiam appellationis remediū in tali casu concessum est. *l. 1. C. Si sepius in integrum.*

3. Alterum. Interdum aliquis habet Dominium seu jus proprietatis in fundo, etiam junctum cum usufructu, & tamen non habet jurisdictionem ullam, quare dicunt aliqui ex *Bartolo in cit. l. 1. n. 15*, quod aliquis habere possit territorium, & non districtum seu jurisdictionem territorialem; nam territorium definitur universitas agrorum intra fines utriusque loci, tamen plerumque adjuncta sit jurisdictio & species quædam imperij mixti aut meri; quamobrem *Jure Consulto in l. pupill. 239. §. Territorium. ff. de verb. signific. junct. l. Moris ff. de pænis*, existimant, territorium dici à terredō, tanquam à communiter accidente; tamen talis qualitas separari aut abesse nonnunquam potest, ut bene explicat *Euerhard. tom. 2. Consil. 34. n. 29*. Ut si Imperator in criminis pœnam civitatem aliquam Imperialem omni jurisdictione priuaret in territorio suo. Interdum verò habet aliquis imperium merum seu jus gladij, das Blut. oder Halsgericht; sed etiam jurisdictionem nullam obtinet, ut idem *Euerhard. notat fol. 478*. Et vice versâ interdum aliquis habet jurisdictionem simplicem & imperium mixtum, videlicet ut tu-

tores dare, in integrum restituere, in bonorum possessionem mittere, item servitia & alia onera indicere subditis possit, & tamen non habet imperium merum seu jus gladij, quod in Germania à plerisque etiam appellatur, das Obergericht. Multi tamen habent jus capiendi & incarcerandi malefactores in territorio suo, quos intra certum tempus v. g. 24. horas superiorem jurisdictionem habenti præsentare debent.

Nota II. Iudex interdum etiam non presentibus partibus terminum temporis præfigit, intra quem testes produci, vel contra eos opponi debeat, ita ut postea testes non recipiantur. Ita *gl. magna hic. Decius n. 13*.

Nota III. Postquam in causa conclusum fuit, imò etiam post latam sententiam, opponi potest, testes fuisse falsos. Sed intelligi id debet non directè in Ordine ad articulum probatorium, quando quidem circa eum probationes in utramque partem auditæ fuerunt, sed formaliter in ordine ad ipsos testes, quod dolo seu mendaciter deposuerint, ut si ostendatur, eos non fuisse presentes negotio cui testimonium perhibent. Ita habetur in *Clem. 2. de testib. junct. gl. verb. Contrariis*. Idem quoque traditur de Instrumentis, ut si de falsitate argui possint, talis oppositio atque probatio etiam post latam sententiam recipi debeat *l. 1. C. Si ex falsis Instrumentum.* & proderit talis ostensio falsitatis ad hoc ut sententia rescindenda sit per in integrum restitutionem *cit. l. 1. & l. 2. C. eodem*, atque interim dum lis super falsitate testium aut instrumentorum pendet, etiam executio prioris sententiæ suspensa esse debet. *l. ult. C. eod.* Duo tamen requiruntur, ut sententia ex hac causa rescindi debeat, videlicet, ut quæstio falsitatis seu falsationis prius in iudicii progressu mota non fuerit; & quod iudex ex falso instrumento aut falsis testibus ad ita iudicandum motus fuerit, uti habetur in *l. 3. C. eod.* His adde, esse etiam hanc speciem testis falsi, si sit corruptus pecuniâ, ut talia diceret. *c. Sicut. 7. De testibus. l. 5. ff. ad leg. Cornel. de falsis.* & tradunt *Panorm. Felin. hic. n. 4. Mascard. verb. Corrupt. Conclus. 454.* & idem sententiam latam ex taliter corru-

ptorum testium allegationibus, per restitutionem in integrum rescindendam esse. *l. Divus. 33. ff. De re iudicata.* Neque obstat his textus huius Capituli, nam ad testium corruptionem, quæ aliquo modo probata videbatur per testes ex adverso adductos, ideo Pontifex non attendit, quia ut *glossa hinc monet*, Syndicus adstrinxerat se ad duo probanda, videlicet quod corrupti falsa dixerint; quamobrem cauti esse debent Procuratores & Advocati, ut protestentur quod tamen plura allegent in articulis, non tamen se ad superfluas probationes obligare velint. Deinde responderi potest, quod testes à Syndico producti, corruptionem non sufficienter probarent, & quod Pontifex habuerit sufficientia documenta de iusta & plurimis annis continuatâ possessione, ut nullum fuerit periculum falsæ depositionis in obiecto seu materia litis.

6 Nota IV. Licet pars litigans, contra quam testes producuntur, interrogatoria dare possit, id est, super quibus circumstantiis articuloꝝ productorum testes examinari debeant. *cap. 2. junct. gl. verb. Interrogatoria, de testibus. in 6.* Si tamen pars interrogatoria non dedit, aut non sufficienter dedit, tum iudex ex officio supplet, & interrogatoria accuratè format, uti apparet in hoc *cap. & c. Cum causam. 37. de testibus.* & docet *Francus in cit. c. n. 6. Farinae. de testib. q. 73. n. 9.* Nam quotiescunque æquitas postulat iudex ex officio interrogaciones formare potest ad veritatem eruendam. *l. Undecunque. 21. ff. de Interrogatoriis action.*

7 Nota V. Tamen testis improbæ vitæ admitti possit in causis civilibus atque in criminalibus exceptis, non tamen ei tanta fides habenda, ac si integræ famæ esset, imò tanta esse potest improbitas ac leuitas, ut nulla omnino fides habeatur, nisi dictum suū indicis seu adminiculis probabile reddat. Ita apertè in hoc capitulo. & dixi de hoc in *cap. 1. de Confessis.*

8 Nota VI. Duo eandem rem simul & eodem modo in solidum possidere non possunt. Dicitur eodem modo, nam diverso

modo id fieri potest, videlicet, ut unus possideat tanquam proprietarius, alter ut usufructuarius eundem fundum. Item ut unus civiliter, alter corporaliter possideat, deinde sicuti duo Domini eiusdem rei esse possunt Communionis iure, sed non in solidum seu totaliter, ita etiam duo eandem rem totam simul eodemque modo possidere possunt, sed non totaliter seu in solidum, & tum dicitur res à pluribus possideri pro indiviso, *l. 1. §. hoc interdictum. ff. Vti possideris.*

Nota ultimò. Duobus modis agi potest interdicto retinendæ possessionis. Vel ut actor contendat & petat sibi omnem possessionem adiudicari, & adversario præcipi ut desistat à præsentè molestatione, & in futurum non molestat: Insuper peti potest compensatio damnoꝝ, seu quanti interest molestationem factâ non esse. Vel ut parti adversariæ non negetur, aut rationabiliter negari non possit oranis possessio, quia v.g. duo rem secundum partes diversas possident, vel unus possidet ut proprietarius, alter ut usufructuarius; & hoc posteriori casu servari debet formula interdicti, ut iudex dicat, *vti possideris, ita deinceps possideatis*: vel sic clariùs: quia ex actis & probationibus constat, habere te possessionem proprietatis, pronuntio, quod ita possidere debeas, & vim tibi aut molestationem inferri veto, & quia adversarius tuus probavit possessionem usufructuarius, ideo iubeo illum possidere, ut usufructuarius, & molestationem circa usufructum non inferre. In priori autem casu, si quis omnem rei possessionem sibi attribuat, & alterum repelli petat, tum iudex, si pro possessore iudicio retinendæ pronuntiet, non utitur eâ formula, *vti quisque vestrum possidet, ita possideat*, si quidem in possessione quam vi aut clam, aut precario aliquis ab adversario suo habet, defendendus non est, iuxta *l. 1. ff. Vti possideris. & l. Vnic. Cod. eod.* ubi dicitur, quod per hoc interdictum possessor in possessione defendendus sit contra alterum, dummodo nec vi, nec clam, nec precario possessionem ab eo nactus sit. Quod si verò duosibi possessionem eiusdem rei in solidum

attribuant, ut in casu huius cap. atque adeo uterque contra alterum sit Actor, & Reus, quando uterque petit, ut possessio sibi adjudicetur, alter desistat ab occupatione aut molestatione iniustâ, quomodo tunc procedendum sit, Si quæres; ex textu patebit responsio, quod scilicet iudex ex utraque parte testes aliaque probationes tum ipsius possessionis, tum etiam tituli (si offerantur) præcipere possit, ex his enim apparebit, utra pars vincere debeat; potissimum verò ex quatuor. Primum, si una pars plures testes adduxerit pro possessione sua. Alterum, si testes producti aptiora & probabiliora dicant. Tertium. Si pars antiquiorem suam possessionem ostenderit, tum altera præsumitur vi, clam, aut precario accepisse. Quartum, si altera pars titulum possessionis ostenderit, licet enim id necessarium non sit, quia possessor ostensa nuda possessione contra adversarium tuendus est, dummodo nec vi, nec clam, nec precario ab ipso possessionem nactus sit. §. *Quorum. verb. Hodie. Instir. de Interdict.* tamen si probationes ex utraque parte pro possessione æquales censeantur, proderit ostendisse titulum possessionis, nam hoc casu ea potior, ac justior censebitur, altera autem possessio in vasio quædam ac turbatio præsumetur.

CAPITULUM X.

Per tuas.

PARAPHRASIS.

Tiburtinus civis Caiam per septennium ut concubinam habuit, sed prolem toto tempore non procreavit; postea Caia recessit à Tiburtino, & post non multum temporis reversa in domum, peperit, asserens Patrem prolem esse Tiburtinum, is licet ab initio negarit esse filium suum, tamen postea eum recognovit, appellans Raphaëlem, Raphaël cum adolevisset, Sophiam Tiburtini ex sorore neptem uxorem ducere voluit, & cum parentes Sophiæ propter consanguinitatem contradicerent, mater Raphaëlis cum ju-

ramento testata est, se non ex Tiburtino, sed alio viro suscepisse Raphaëlem; de hac quæstione consultus Innocentius, Respondit, præsumendum esse quod Raphaël sit Consobrinus Sophiæ, atque adeo impeditus eam habere uxorem. Rationes afferuntur in textu. Prima, quia Caia primum constanter asseruit, Raphaëlem ex Tiburtino natum esse, imò potissimum ob mulieris asseverationem Tiburtinus eum recognovit, ideò credendum non est contrariæ mulieris asseverationi, quamvis juratæ, cum nimis indignum sit, quod sua quisque voce dilucide contestatus est, id in eundem casum infirmare, testimoniòque proprio resistere. *l. Generaliter. 13. Cod. De non numerata pecunia.* Altera ratio, quia Raphaël communiter appellatus fuit filius Tiburtini, & pro tali habitus ab ipso & Caia.

SUMMARIUM.

1. Iudex non permittet matrimonium cum consanguineis Patris, si præsumptiones pro filiatione adsint.
2. Præsumitur autem pro filiatione legitima, si in domo mariti, eo præsentis, & potente generare, nata sit ex coniuge proles.
3. Neque sola mulieris adulterâ contra filium assertio præsumptionem hanc elidit.
4. Pro filiatione tamen geniti ex concubina si alium à concubinario patrem nominet mulier, Iudicis arbitrio res committitur.
5. Probat etiam filiationem, si quis à quopiam ut filius nominatus, alius & tractatus fuit.
6. Neque per hoc solum quod prius pro filio agnitus & tractatus, postmodum reiiciatur, filiationis præsumptionem & possessionem amittit.
7. Facit etiam pro præsumenda filiatione communis fama & opinio præsertim vicinorum & Domesticorum.
8. Contra proprium testimonium, quo jus alteri, aut juris præsumptio acquisita fuit, non creditur contrarium postmodum asserenti in præiudicium illius.

Nota

1 Nota I. Si præsumptiones adsint profiliatione, iudex non permittet matrimonium cum consanguineis patris, Dico si præsumptiones adsint, quia probationes certæ generationis ex patre raro haberi possunt. *l. Lucius. 83 ff. De conditionibus. sed plerumque per coniecturas probari potest. l. Filium. 6. ff. De his qui sunt.*

2 Prima coniectura est, si filius sit natus in domo Mariti, eo præsentem, & generandi potentem. *cit. l. Filium.* Sed et si constet matrem eodem tempore adulterium commisisse, ita ut utriusque viri filius esse possit, in dubio legitimus judicari debet, quod multi probant ex *l. Miles. 2. §. Desuncto. ff. ad l. Jul. de Adulterijs.* Sed textus ille non sufficit, cum solum ibi dicatur, si mulier de adulterio convicta sit, nullum inde præiudicium generari filio, si res ita constituta sit, ut spectatis circumstantiis temporis, loci, personarum, etiã ex marito nasci potuerit. Itaque rationem dare debemus, quia iste esse debeat favor matrimonij, ut in dubio pro legitima natiuitate præsumendum sit, uti docui *l. 3. rr. 3. p. 3. cap. ult.* Videatur *Mench. in arbitrar. casu 89. n. 20.*

3 Extenditur id primò: Præsumptionem hanc non elidi, eo quod mulier dicat ex adulterio natum esse filium, nisi id coniecturis & indicis ostendat, cum alioqui sit mera unius vilis mulieris asseveratio, non sufficiens ad abolendam juris præsumptionem, quæ pro legitima natiuitate adest, secundum *gl. communiter receptam, in l. etiam. 16. ff. De probationibus.*

4 Extenditur secundò, si proles nata sit ex concubina, quam domi aliquis habuit, quod concubinarij censeferi debeat, uti docet *gl. recepta in c. Michaël. 13. verb. Confiteris, de filiis Presbyt. Panorm. hic n. 2.* Verumtamen, cum favor pro naturali natiuitate non sit tantus, quantus est, pro natiuitate legitima; idè si alterius etiam filius esse possit, & mater id fateatur, nominetque patrem, ad iudicem pertinebit examinare, num fides mulieri habenda sit nec ne, negari enim nõ potest, in filiationis quaestione, cum difficilis probationis sit, multum iudicis arbitrio concedendum esse. Vti docet *Mench. cit. casu 89. n. 1.*

Altera coniectura. Si à quopiam filius nominatus, & ut filius alitus ac tractatus fuerit; uti tradit *gl. hęc, verb. Nominatus;* & admonet, quod sola nominatio non ostendat aliquem filium, ut colligitur ex *l. Non epistolis. 13. Cod. De probationibus;* idque verum est, si contrariæ coniecturæ ex adverso stent, ut quia non ut filius habitus & tractatus fuit, aliò qui negari non potest, quin nominatio filiationis præsertim geminata, vel in instrumento aliquo posita, magnam præsumptionem, & saltem semiplenam probationem faciat. *argum. cit. l. Nec epistolis, junct. gl. & tradit Felinus hic n. 12.* Ceterum si, ut dixi, cum nominatione tractatus filij iunctus sit, tum acquiritur possessio filiationis cum maxima præsumptione veritatis. Ex quo duo colligi possunt. 1. Est extra controversiam, si adversarius agendo vel excipiendo neget esse filium huius Patris, intentionem suam fundans super tali negatione, quod onus probandi ipsi incumbat, quia actor & non possessori probare debet. Alterum minus certum est, attamen valde probabile, quod tradit *Mench. n. 70. cõtra Mascard. & alios ab ipso citatos, Conclus. 786.* Tametsi existens in possessione filiationis, intentionem suam fundet super filiationem, quia petit hæreditatem Patris, aut agit familiaræ heriscundæ iudicio, quod ipsi onus probandi filiationem non incumbat, sed adversario qui negat. *argum. l. Circa. 14. ff. De Probationibus.* Ratio est, quam glossa marginalis indicat in *l. 1. ff. cod. Lanfrancus in praxi seu in cap. Quoniam. h. tit. cap. 8. num. 95. gloss. in cap. Transmissa. verb. Indicis. qui sint legitimi filij.* cum filiatio respectu Patris non possit probari nisi per coniecturas, & possessio filiationis fundetur in coniecturis, videlicet, nominatum & agnitum esse pro filio, idè qui probat possessionem præsumptivè, etiam probat filiationem, cum ordinariè maior probatio haberi nequeat.

Sed quid, si Titius Caium ut filium agnovit, & tractaverit, postea verò eundem reiecerit, ut spurium, tollitne præsumptio filiationis. Resp. Cum *Felino hic n. 9. Mench. n. 73.*

n. 73. quod filius maneat in possessione, & consequenter præsumptione filiationis, præterquam si is agnoscat & acceptet reiectionem, vel alteri tanquam Patri adhæreat, vel nisi pater errorem suum probabiliter edoceat, cur inquã eum pro filio habuerit deceptus.

7 Tertia coniectura, communis fama & opinio, præsertim domesticorum ac vicinorũ persuasio, uti ex hoc cap. colligitur, & l. Si mater. b. C. Ne testator defuncto.

Nota II. Non creditur alicui etiam jurato, si dicat contrarium ei, de quo antea dilucidè testatus fuerat. Verùm hoc dictum intelligi debet de tali confessione aut testatione antecedente, per quam alteri jus, aut juris præsumptio acquisita est, ut in casu huius cap. Si tamen aliquis neget quidpiã, postea autem confiteatur, in suum præiudicium creditur ipsi. Ut si Titius Caium reiecerit, tanquam filius non suus sit, postea autem eundem agnouerit, ac receperit, præiudicat sibi, ut filius ipsius esse præsumatur, uti Felinus hãc docet n. 12. Menoch. cit. n. 73.

CAPITULUM XI.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Quidam iudices iniqui mendaciter asserunt, aliqua in iudicio esse acta in præiudicium partis litigantis, quæ cum veram negatiuam probare interdum non possent, quia neganti factum, nulla probatio directè suppetit, idè ne falsitas veritati præiudicet, aut iniquitas prævaleat æquitati, Innocentius III. in Generali Concilio statuit, ut tum in iudicio ordinario, tum in extraordinario seu delegato iudex tabellionem adhibeat, si id fieri possit, vel duos idoneos viros, qui uniuersa acta iudicii videlicet citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, & interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renuntiationes, concursiones, & cetera quæ oc-

currerint, fideliter, & competente ordine conscribant, designantes loca, tempora, & personas; quæ acta ita conscripta partibus tribuantur, Originali penes scriptores remanente, ut si super processu iudicis controuersia oriatur, per acta legitimè consignata terminari queat. Quod si verò iudex aliquis hanc constitutionem obseruare neglexerit, & propter negligentiam eius difficultas emerferit, per superiorem iudicem puniatur. Insuper pro processu eius præsumptio non fiat, nisi quatenus ex legitimis actorum documentis constiterit.

SUMMARIUM.

1. Proportio seu depositio merè negatiua directè probari non potest, potest tamen nunquam indirectè.
2. Acta iudicii ex præcepto Iudicis in scriptum redigi debent à Notario vel aliis duobus Notarij locum suppleantibus, nisi cause tantum leuiore essent.
3. Maiorem etiam fidem obtinet Notarius in rebus ad suum officium pertinentibus, quàm alius testis; ita tamen ut duorum testimonio eidem æquiualeant.
4. Originale consulendum, si super transumptis dubium oriatur.
5. Cui præcipitur aliquid ob causam vitandi mali, ordinariè non punitur transgressus hoc præceptum, nisi malum euenierit.
6. Non habetur actis iudicii aut processui fides, nisi scripta sint: de illis tamen amissis potest per duos testes, qui ea legerunt, fieri fides.

Nota I. Merè negatiua propositio seu depositio, directè probari non potest: dicitur merè negatiua, ut distinguatur à propositione negante, quæ virtualiter continet in se affirmantem, ea enim directè probari potest, v. g. me non sponte consensisse, adeoque coactè. cap. Super. s. De Renunt. At verò quæ verè seu merè negatiua est, v. g. quod Reus in iudicio crimen confessus non fuerit, per se directè probari non potest, sed interdum indirectè, &

h h

per

per aliud, ut si ostendatur, quòd iudex testium allegationes pro defensione Rei acceperit usque ad conclusionem in causa.

2 Nota II. Acta omnia iudicii à Notario vel alijs duobus viris Notarij locupletibus in scriptum præcipiente iudice redigi debent. Excipi tamen solent communiter causæ leviores, in quibus creditur iudicis informationi ac relationi, uti colligitur ex *Authent. Nisi breues. ubi Bart. n. 3. Cod. De sententia ex periculo, & tradit Panorm. hic. n. 3. contra Decium. n. 7.*

3 Nota III. Notarius juratus & approbatus propter publicum officium suum, maiorem fidem quàm alij meretur in pertinentibus ad officium, quâ de re *Menoch. in arbitrar. casu 99. n. 2.* Duorum autem testium confessio æquivaleret testimonio Notarij, uti ex hoc cap. colligitur; & tradit *gl. hinc verb. Duos viros. gl. in c. Cùm Ioannes. 10. §. Quodlibet. de fide Instrum.*

4 Nota IV. Si super exemplis seu transumptis scripturis dubium oriatur, recurrèdum est ad Originale, videlicet in casu nostro ad Protocollum manu Notarij scriptum, quod penes iudicem vel ipsum Notarium asservari debet, propter maiorem fidem & veritatis custodiam.

5 Nota V. Si quidpiam alicui præceptum sit ob causam mali evitandi, transgressio præcepti puniri non solet, si malum reipsâ non sequitur; quanquam id perpetuum non est, potuisset enim etiam in hoc casu pœna iudicibus decerni, si acta iudicii in scriptum à Notario redigi non curârint, siue difficultas seu controuersia propter hanc negligentiam sequeretur, siue non. Porro causa seu motivum legis decernendæ, plerumque in eius procemio proponitur, uti hinc apparet.

6 Nota VI. Processui & actis iudicii non habetur fides nisi fuerint scripta. Ita hinc, & docet *Bart. l. Ne in arbitris.* Si tamen acta iudicii amissa fuerint, tum duo testes qui acta inspexerunt, ac legerunt, de ijs fidem facere possunt. *Arg. l. Testium. 18. Cod. De testib. & tradit Felinus hic. num. 55.* Ad extremum adverte, præter iudicem & tabelionem alios testes adhibendos non esse ad

fidem faciendam actis, cum enim utriusque officium publicum sit, creditur illis absque maiore probatione. Vt tamen obtinuit, ut in sententia ferenda adhibeantur testes, uti observavit *Lanfrancus* super hoc cap. *n. 15.* Scribit autem Notarius acta, iudicis autoritate, seu ad mandatum iudicis; interest tamen, utrum Notarius cognoverit rem ita se habere, tunc enim scribere debet, testis v. g. inter deponendum inconstans fuit, siue vacillavit; an verò Notarius id non adverterit, tunc enim hoc solum scribere debet, quòd Iudex v. g. dicat testem vacillasse &c. uti explicat *Lanfrancus. cit. loc.* ubi addit, quòd in tali casu Reus si defendere se velit, ne talia scribantur, audiendus sit.

CAPITVLVM XII.

Ad nostram.

PARAPHRASIS.

In regno Daciæ legerat, ut tamen si crimen alicuius per testes legitime probari posset, tamen Reus ad purgandum se super crimine admitteretur, testes adducendo, qui de eius innocentia testarentur, cum verò talis lex perversio & corruptela censeri debeat, quippe omni iuri contraria, statuit *Honorius III.* ut ea à Clericis non obseruetur; atque super eiusmodi negatiuæ propositionis probatione, videlicet crimen commissum non esse, nemo audiatur, si affirmatiua probari queat.

SUMMARIVM.

1. *Omni iuri diuino & humano repugnat, admittere Reum infamatum, cuius crimen per testes legitime probari potest, ad purgationem canonicam propositionis negatiuæ.*
2. *Neg. tamen negari potest aut debet indirecta negatiuæ expurgatio per testes scilicet, contra testes, qui de affirmatiua deponunt, productos.*
3. *In pari testium absoluiè idoneorum numero, præferuntur, qui pro Reo stant.*

Nota

Cùm Causam.

PARAPHRASIS.

Inter Colubriensem & Egitanensem Episcopos controversia erat super finibus diocesium, eam rem Honorius III. commisit duobus aliis Episcopis, mandans, ut libros antiquos, & similia ex quibus fines dignosci possent, inspiciant, testes quoque audiant, famam & alia adminicula perpendant, & ita in negotio illo procedant.

SUMMARIUM.

1. Scriptura antiqua, conferunt aliquid ad faciendam fidem.
2. Et quidem ubi non agitur de præiudicio alterius, fidem plenam faciunt.
3. Secus, si de præiudicio alterius agitur.
4. Nisi in archivio, seu loco publico, ubi authenticæ Scripturæ sub custode publico aservantur, reperta fuerint.
5. Vel nisi illis communiter ab antiquis creditum sit.
6. Vel nisi modica tantum causa sit.
7. Plures imperfectæ probationes, si ad eundem finem tendant, possunt simul iunctæ, plenam probationem facere.

NOta I. Libri & Scripturæ antiquæ enuntiantes aliquid, factum vel non factum, fidem aliquam merentur. Pro intellectu adverte, certum esse apud omnes, quod antiquitas Scripturæ conferat aliquid ad probationem, uti videre est, apud *Aimonium Menoch, de arbitrar. lib. 2. Casu 3.* tum quia ipsa antiquitas venerationem & Auctoritatem aliquam Scripturæ tribuit, tum quia gesta antiqua difficile probari possunt, & ideo leviores probationes admitti solent; sed quantum fidei antiquis libris aut Scripturis tribuendum sit, sequentibus assertionibus dicam.

Assertio I. Scriptura libri, vel marmoris seu monumento incisa litera fidem facit in Causa, quâ non agitur de præiudicio alteri,

h h 2

v. g.

Nota I. Lex nisi sit rationabilis, honesta atque utilis Reipublicæ, non habet veram legis rationem, sed pestis ac corruptela appellari debet.

Nota II. Si per testes crimine commissum legitime probari potest, non debet Reus infamatus admitti ad purgationem canonicam, cuius forma præscribitur in cap. *Quoties. s. s. Porrò. de Purg. Canon.* ut si Titius suspectus juret, se crimen non commisisse, & adducat conpurgatores, qui jurent se existimare, quod Titius verè jurarit, Ratio dari debet, quia purgatio per iuramentum subsidiaria est, si alia legitimæ probationes deficient. cap. *Accedens. 14. De purgat. Canon.* Sed neque statuto aut consuetudine introduci potest, ut canonica expurgatio per iuramentum fiat, si crimen legitime probari possit, cum sit omni juri, videlicet non tantum positivo, sed etiam Divino contraria, partim, quia scelera pleraque impunita manebunt cum magno Reipublicæ detrimento. cap. *Est iniusta. 33. Caus. 23. quest. 4.* partim quia periuriis occasio præbetur, quando multi reperientur, qui ut sceleris poenam ac infamiam declinent, falso iuramento se purgare aggredientur. Videatur *Decius his. n. 4. & 5.*

3 Loquitur itaque textus noster de purgatione seu ostensione negatiuæ per iuramentum. Alia autem est expurgatio seu ostensio negatiuæ indirecta, quæ fit per testes à Reo ex aduerso productos contra testes Actoris de commisso crimine deponentes, talis expurgatio licita & consueta est, iuxta cap. *Ex tenore. 35. de testib. & tradit glossa in cap. Clerici. 32. distinct. 81.* Se quid, inquit, si duo Clerici dicunt me commisisse fornicationem cum aliqua tali die; duo laici dicunt me fuisse secum totâ die in alio loco. Dico præponendos esse laicos, quia stant pro Reo, ubi glossa marg. monet, testes præferendos esse qui stant pro Reo, cum causa ipsius fauorabilior sit quàm Actoris, nec interest, tamen si testes pro Actore adducti, magis idonei videantur, videlicet Clerici, dummodò & alij quos Reus innocentie suæ testes adduxit, absolute loquendo sint idonei.

v. g. quòd infans baptizatus, Ecclesia consecrata sit. Secùdùm *Innoc. in Rubr. de Consecr. Eccles. Panorm. hic n. 1.* & ita intelligi debet *gloss. hic. verb. per libros. gl. in c. Sanò. 6. caus. 24. q. 2. verb. Diptychis.* Ratio est, quia enim in tali casu præsumptio non est, quòd aliquis fallere velit, idèd receptum est, ut etiam unius testimonio credatur; sicuti *loc. cit. Innoc. tradit.*

3 Assertio II. Si agatur de alterius præiudicio, scriptura antiqua fidem plenam non meretur. Ita *Panorm. hic. Mascard. Conclus. 975. Georg. Everhardus. vol. 1. Consl. 27. n. 6. Decius Felin. n. 3.* Nam alioqui magna occasio præberetur quoscunque fallendi, posset enim Prælatus vel Officialis eius in libro censuali varia scribere debitorum nomina & possessiones ad Monasterium spectantes; quamobrem neq; publico instrumento solet credi, nisi sit confectum cum consensu eius, in cuius præiudicium cedit. *Arg. legis Censualis, 6. C. de don. & tradit Felinus hic. n. 3.* quòd in dependètib; à consensu duorum scriptura publica facta ad assertionem unius non probat. Si tamen in instrumento antiquo inter duos confecto, aliquid adiectum sit, quòd cedere possit in præiudicium tertij, v. g. locum aliquem esse sub iurisdictione aut diocesi hac, tum magnam veritatis præsumptionem facit, imò plenam probationem, si plura talia instrumenta non ab uno & eodem Notario confecta reperiantur. quâ de re *Felinus hic. n. 4.*

4 Limitatur hæc Assertio. Primò. Si scriptura antiqua conservata reperiat in archiuo seu loco publico in quo solùm authenticæ scripturæ asservantur, eique Archiuo magna communiter fides adhiberi soleat. *Argum. cap. Ad audientiam. 13. de Prescript. ubi id tradit gloss. verb. Censualis, & habetur expressius in Authent. Ad hac. Cod. De fide instrum. docet Bart. in l. 1. ff. Si certum petatur. Panorm. hic. num. 1. Felin. num. 3. Everhard. loc. cit.* Requirit tamen DD. apud *Felin. cit. loc. Dec. hic. n. 7. gl. marg. in cit. Authent.* ut Archiuum publicum custodem habeat, cui ex publico officio incumbat, ut non nisi quæ fidem mereantur inter Scripturas Archivij reponantur.

Limitatur II. Si talis sit liber aut scriptura, cui ab antiquis communiter creditum sit, ita colligitur ex hoc cap. & tradunt *Panorm. Felin. Everhard. loc. cit.* & confert ad hoc quòd tradit *Innoc. in c. Veniens. n. 6. de verborum signific. Bald. in Authent. quas actiones. n. 16. C. De SS. Ecclesiis,* quòd in excendentibus hominum memoriam comùnisi fama & persuasio fidem facere debet. Exinde colligit *Bartolus in l. 1. n. 22. ff. Si certum pet. Felinus hic n. 1. Everhard. n. 6.* fidem habendam esse Historicis, Chronicis ac similibus scriptis antiquis, si ex traditione autoritatem habeant, quia communiter ipsis creditum est, tunc enim & nos credere oportet, ait *Bartolus,* & confert hoc dictum ad convincendos hæreticos, nam licet fateamur, quòd Patres antiqui singuli ac seorsim errare potuerint, si tamen aliquid doceant, quòd ex traditione constat, pro vero communiter agniti esse, nunc sine pertinacia aut intellectu stupiditate fides negari non potest.

III. Limitat *Panorm. hic n. 1.* Si causa modica sit, quòd ad probandũ sufficiat scriptura antiqua, & vera videtur limitatio, ob generalem regulam apud *Decium hic n. 1.* quòd in causis modicis minor probatio sufficiat, quænam autem causa modica censeri debeat, ita ut spectatis circumstantiis maior probatio requirenda non sit, iudicis arbitrio committitur.

Nota II. Probationes semiplenæ seu imperfectæ & simul junctæ, facere possunt probationem plenam. Ita *Panorm. hic. n. 2. Decius n. 9. Felin. n. 9.* Sed ita distinguendum, vel plures probationes imperfectæ ad eundem finem tendunt, vel nõ ad eundem, hoc posteriori casu semutò non adiuvant, ut si testes omnino singulares sint de diversis v. g. furtis deponentes, priori casu adiuvant se mutò & efficiunt probationem plenam, idq; clarum est, si duo v. g. testes de eodem facto, eodem modo testentur; sed etiam id locum habet, si de diversis testentur, sed ad eundem finem tendentibus actibus, ut si unus testis oculatus testetur Titium commisisse homicidium, alij duo testes deponant de fama publica, alij duo de fuga eiusdem Titij, hæc enim sunt indicia & admi-

admicula, quæ si plenè probata fuerint, adiuuant se mutuo, & tum inter se, tum multo magis cum vnico teste ipsius facti plenam probationem efficiunt; sin autem indicium v. g. fama semiplenè tantùm, videlicet per vnicum testem probetur, non tantam vim habet.

CAPITVLVM XIV.

Causa.

PARAPHRASIS.

Puella quædam Matrimonium contraxerat cum iuvene, sed post nuptias recessit, & monasterium ingressa professionem edidit, asseuerans se Virginem mansisse, sed iuuenis eam repetebat, allegans, quòd matrimonium cū ipsa consummārit. Super hac causa consultus Pontifex Honorius III. rescribit, vt puella interim in Monasterio secura permaneat, donec iudicialis sententia lata fuerit, & vt iudices delegati ex vtraque parte probationes recipiant; & specialiter si vir opponere velit contra mulieres de Virginitate puellæ testificantes, super hoc audiatur; deinde cūm obfetricum iudicia quandoque fallant, idèd præter mulieres modò adhibitas, aliæ adhuc honestæ ac prouidæ Matronæ adhibeantur, quæ de Virginitatis priuilegio testimonium dent.

SUMMARIVM.

1. Agens interdicto recuperanda tanquam spoliatus, non restituitur nisi probata fuerit spoliatio.
2. Qui adhibentur vt periti artis ad iudicium suum in casu dubio proferendum, debent esse honesti & probate vitæ.
3. Donatio illius, qui se & bona sua a quæ principaliter religioni dedicauit, reuocari potest professione non secuta, si per errorem validam hanc esse, aut fore existimauit: secus, si irritam sciuit.

NOTA I. Sponsus de præsentis post contractum, sed nondum consummatum

matrimonium religionem ingredi ac profiteri potest. c. 2. de Conuersione Coniugatorum. c. Desponsatum. 27. & seq. 27. q. 2. & dixi lib. 5. tr. 10. p. 3. c. 6. n. 3.

Queritur, cur mulier quæ à marito propria auctoritate recessit, non statim ei restituta fuerit, iuxta c. Ex transmissa. 8. c. Ex Parte. 14. de restit. spol. Resp. Quia agens interdicto recuperandæ possessionis tanquam spoliatus, non restituitur nisi probata sit spoliatio, in hoc autem casu spoliatio nondum probata fuit, quando quidem mulier excepit se intactam à viro discessisse, & inter Virgines canonicè professam esse; non enim spoliare censetur, qui iure suo vititur, rectè itaque differtur restitutio, donec probationibus vtrinque allatis intelligatur, num iustè recesserit, an iniustè. Quare idem arbitrator dicendum, etsi mulier nondum professa esset, sed tantùm ingressa & inter nouitias numerata, quia nisi constet de spoliatioe, non debet fieri restitutio secundùm gl. & DD. in c. Consultationibus. 10. de Offie. delegati. dum autem ignoratur, num mulier à viro cognita sit, consequenter an jus habuerit Monasterium ingrediendi, non constat de spoliatioe, ergo non debet ipsi restitui statim. Excipe, nisi sit præsumptio contra mulierem, vt quia non paucis mensibus habitauit cum marito, & postea se separauit, arg. c. Ex publico. 7. de Conuers. Coniugat.

Nota II. Periti artis, qui in casu dubio aduocantur, vt iudicium suum siue credulitatem proferant, debent esse honesti ac vitæ probatæ, idque sumitur ex lege Magistrorum. 7. c. de Professoribus. l. 10. vbi dicitur, quòd Magistri studiorum doctorisque moribus primùm excellere debeant.

Queritur hîc, si Professio facta à muliere, irrita censeatur, quia contra fidem Matrimonii consummati facta sit, num bona donata Monasterio restitui debeant? Hanc quæstionem proponit glossa in authent. Ingressi. c. de SS. Eccles. & bene decidit Bart. ibi. n. 13. vel aliquis dedicat se cum bonis suis Religioni, ad eoque bona accessoriè donat; hoc casu expressio nihil operatur, cūm

talis donatio seu translatio bonorum suapte naturâ insit professioni: vel aliquis dedicat se & bona sua Religioni, ita vt animus principaliter ad vtrumque referatur; hoc casu si professio irrita sit, refert, vtrum existimet valere professionem, an verò sciat irritam esse: Primo casu reuocari potest donatio tanquam facta ob causam, causâ non secutâ; idque sumitur ex *l. Non omnis, 17. ff. Si certum pet.* vbi dicitur, si quis causâ mortis donauit, reuocari donationem, si donans conualescat, aut donatarius prior decedat: altero verò casu donatio subsistit, nec reuocari potest, quia absolutè & independentè à professionis valore facta fuit, atque hîc locum habet *Reg. 53. ff. Cuius per errorem dati repetitio est, eius consulto dati donatio est.* Verumtamen post Trident. constitutionem, *sess. 25. c. 16. de Regular.* existimat *Sanch. l. 7. Moral. c. 5. n. 54.* donationem reuocari posse, tamen si fiat ab eo, qui impedimenti seu nullitatis conscius est, nam in Tridentino dicitur, donationem bonorum factam à Nouitiis non valere, nisi professio sequatur, non est autem secuta professio, si ipso iure irrita sit, quia perinde est, actum non fieri & inualidè fieri, sicuti docet idem *Sanch. 3. de Matrimon. disp. 33. n. 5.* sed contrarium arbitror probabilius in casu nostro, si mulier post contractum & consummatum Matrimonium, religionem ingrediatur, eâque occasione principaliter ac independentè ad professionem, quam irritam esse aut fore non ignorat, Monasterio donationem faciat, eam subsistere, neque reuocari posse, quia constitutio Tridentina *cit. c. 16.* hunc casum non comprehendit, cum tantùm de iis loquatur, qui liberrate præditi sunt, ita vt religionem profiteri possint, & non possint, siue vt aliis verbis dicam, de iis qui Nouitiatus seu probationis capaces sunt.

CAPITVLVM XV. & vlt.

Cùm bonæ.

PARAPHRASIS.

Controuersia erat inter Mespurgensem Epi-

scopum, & Abbatem ac Conuentum Pigamentensem, super statu Monasterii, & quibusdam spoliationibus, quas Episcopus intulerit; ea commissa erat iudicibus, coram quibus litis contestatio facta est, & processum in causa, sed ob quædam impedimenta ad finem non perducta; postea Gregorius IX. eandem causam alijs iudicibus delegat, mandans eis, vt acta originalia apud priores iudices diligenter inquirant, & si reperta fuerint vnâ cum alijs, si qua insuper partes proponere apud ipsos voluerint, ad Sedem Apostolicam mittant, sin autem acta reperta non fuerint, tunc superfidentes litis contestatione (cùm eam factam fuisse non dubitetur) probationes partium de nouo recipiant, audiant quæque eas partes, num in compositionis tractatum consentire velint, & quæ intellexerint, causâque sufficienter instructam ad Pontificem remittant.

SYMMARIVM.

1. Ad litis contestationem probandam, si acta iudicii prioris perditâ sint, sufficit confessio partium.
2. Acta prioris iudicii exhiberi debent alteri Iudici, ad quem causa deuoluta est.

NOTA I. Si acta iudicii perditâ sint, statim confessione partium, quod v.g. interuenerit litis contestatio, vt tali casu eam repetere, necesse non sit. Ita glossa hîc intelligit *Not. 2. & DD. communiter.* Sed obicitur *c. Super. 5. De eo qui cognouit.* Ex quo DD. colligunt, quòd confessio alicuius facti non dependentis ab arbitrio confidentis, seu quod à confidente remitti non potest, fidem non facit, atqui partes non possunt remittere litis contestationem, cum ea pertineat ad substantiam processûs ordinarii, secundùm glossam communiter receptam. *c. de causis. 4. verb. de Consensu. de officio. delegati;* ergo confessio partium de præcedente litis contestatione fidem non merebatur. Resp. Maiorem vniuersaliter veram non esse, sed tunc tantùm, si suspicio esse possit de collusionè aut fraude, vel si confessio

in

in alterius præiudicium cedere possit, at vero in proposito casu, de modico aut nullo præiudicio agitur, neque est suspicio vlla collusionis; imò maxima præsumptio, quòd litis contestatio interuenerit, ea enim est processui intrinseca ac substantialis, atqui intrinseca, & necessaria solennitates interuenisse præsumuntur. *l. Sciendum. 30. ff. de V. O.* Accedit, quòd sicuti admittuntur testes ad probandum acta seu instrumenta, si amissa fuerint. *l. Testium. 18. C. De testib.* dummodò amissio sit verisimilis, & timor non subsit collusionis aut fraudis, uti hinc limitat *Felinus. n. 1.* Ita etiam in casu simili,

amissa acta Originalia probari possunt per confessionem partium. Denique credibile est, quòd iudices priores etiam testati fuerint, litis contestationem factam esse, quamobrem ait Pontifex, de ea non dubitari, quia videlicet iudices testabantur, & partes non negabant.

Nota II. Si causa ad alios iudices deuoluatur, acta & processus prioris iudicii eis exhiberi debent, uti expressè etiam habetur in *c. Causam ij. de testib.* & sic patet, inquit *gl. hic. verb. iudices*, quòd acta vnius iudicii coram altero iudice produci possint.

TITVLVS XX.

DE TESTIBUS ET ATTESTATIONIBUS.

Postquam de Probationibus generatim dictum est, nunc ad species descenditur, & Primò omnium agitur de testibus & attestationibus eorum, cum is probationis modus per viuæ vocis testimonium præcipuus censeatur, quippe communiter vsurpatus, clarus item & efficax, præ cæteris probationum modis. *arg. c. Cum Ioannes. 10. de Fide instrum.*

CAPITVLVM I.

Placuit.

PARAPHRASIS.

Statuit Concilium Maticense, ut testes pretio non conducantur, ac idonei & fideles in testimonium assumantur, & non nisi jejuni. Quod ad Primum horum attinet, dicendum est, si testi pro testimonii ferendi actu pecunia data aut promissa sit, corruptum censeari, seu ad hoc infligatum & conductum, ut falsum testetur, sicut ex Communi docet *Farnac. de Testibus, q. 67. n. 236.* quamo-

brems eius testimonium à parte aduersa reiici potest, imò etiam iudicis officio, teste eodem *n. 254. Mascard. de Probationibus. Concl. 454. n. 8.* Quin & sententia per corruptorum testium attestationes lata, retractari debet. *l. Diuus. 33. vbi Bart. n. 1. & 2. ff. de re iudicata. Mascard. Concl. 454. n. 6.*

S V M M A R I V M.

1. Testis corruptus censetur, cui pro testimonio ferendo pecunia data vel promissa fuit.
2. Qui pecuniam pro testimonio ferendo accepit, torqueri quidem potest super crimine falsi, non tamen ex eo præcisè capite, ut falsarius puniri.
3. Peccat etiam contra Iustitiam, qui pro vero testimonio ferendo coram Iudice suo pecuniam ut pretium operis accepit.
4. Et restituere eam debet danti, nisi animum donandi hic habuerit, aut post prestitum testimonii actum ex liberali animo nulla promissione obligato dederit, vel dederit in compensationem expensarum.
5. Idoneus ac fide dignus testis habetur, de quo